


PALAESTRA LATINA



ANN XXV (Fasc. II) - N. 150
M JUNIO - A. MCMLV
www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii

BARCINONE edendi

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 · BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

I N D E X

L. SANSEGUNDO, <i>De variis humanae vitae gradibus</i>	65
P. MENNA, <i>Num Latinus sermo Grammaticorum legibus ac praeceptis sit comparandus</i>	78
C. ADRAGNA, <i>De Romae atque Athenarum insignibus rebus</i>	84
I. GONZALEZ, <i>Nova et Vetera: Castellum</i>	90
M. MOLINA, <i>Cursus Gymnasticus: Diffugere nives, jam redeunt gramina campis</i> (Hor. Carm., 4, 7)	94
J. HOLZER, <i>Epistularum inter socios commercium</i>	100
R. VALLS, <i>L. Ae. Tubero ex Africa repellitur</i>	106
A. LUCESOLE, <i>Somnium somniavi</i>	109
J. GARCIA, <i>Per Orbem</i>	110
J. GARCIA, <i>Collectanea</i>	112
AVENARIUS, <i>Narratiuncula</i>	113
<i>Socijs et alumnis responsa dantur</i>	114
BIBLIOGRAPHIA: Molina, González, Aspa, García, Sidera.	115
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Paedagogus, Visne latine scire? Lege...: Praecepta vitae informandae</i>	121
M. MOLINA, <i>Rusticus aulicos irridet</i>	122
<i>Paedagogus, Miscentes utile dulci: Facete, sapienter, acute dicta; Lemmata imperatorum; Sapientium dicta</i>	123
<i>Flavia Domitilla</i>	124
COMAS-FORCANO, <i>Alumnorum exercitationes</i>	126
<i>Aenigmata</i>	127
<i>Curiosa et iocosa</i>	128

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXV (FASC. II) — N. 150

M. JUNIO

A. MCMLV

DE VARIIS HUMANAE VITAE GRADIBUS

Quamquam ejusmodi argumentum scriptores bene multos exercuit, quippe quod permagni semper fuerit et momenti et utilitatis, non pigebit id iterum versare, immo vero ad obrussam exigere, ut variae, quas nuncupant, hominum aetates¹ plane legentibus liqueant. Jamvero, ut aliqua via et ratione nostra procedat oratio —ingens enim sese mihi offert ad plurima declaranda campus—, primo de variis vitae temporibus generaliter disseram, subinde de singulis praecipua pandam. Multa porro auctorum testimonia dabo, quae quidem, ut credo, conducent rei tum explanandae tum confirmandae. Volui tamen lectorum fastidio servire in hac parte: itaque, plura testimonia mitto prudens, ne paulo humaniori videar soli lumen inferre.

Atque in primis

I. DE HOMINIS VITAE FINIBUS GENERATIM

Varro (apud CENSORIN. *De Die Nat.* 14, 2) primam aetatem missam faciens, nempe infantiam, definit *pueritiam* a vitae principio ad annum quintum decimum; *adulescentiam*, usque ad vicesimum; *juventutem* autem ad quintum et quadragesimum; *seniores* vero usque ad annum sexagesimum appellat; indeque *senectutem* ad finem vitae.

Ovidius Naso, ex altera parte —quem juvat item referre, ne poëtas praeterire videamur—, in *Met.* 15, 200-212, hasce quattuor aetates comparat quattuor anni temporibus in hunc modum:

Nam tener et lactens *puerique* simillimus aevo
Vere novo est...
Transit in aetatem post ver *robustior annus*,
Fitque valens *juvenis*; neque enim *robustior aetas*...
Excipit autumnus, posito fervore *juventae*;

Maturus mitisque, Inter juvenemque senemque
 Temperie medius ..
 Inde senilis hiems tremulo venit horrida passu...

Uti vides, *pueritia* veri, aestati *adulescentia*, *juventus* autumnio, hiemi *senectus* conferuntur. Item Florus (in *Prooem.* lib. 1) omnem populi Romani aetatem aetati homini assimilat. *Infantia* sub regibus fuisse dicitur; *adulescentia* sub consulibus per ducentos quinquaginta annos usque ad Ap. Claudium et Q. Fulvium consules; *juventutem* inde ad Caesarem Augustum; postea ad sua usque tempora *senectutem* constituit. Similia habet AMMIAN. 14, 6, 3-4.

Ceterum, C. Tubero (apud GELL. *Noct. Att.* 10, 28, 2), dicit Serv. Tullium tres tantum aetatis gradus posuisse, et *pueros* appellasse usque ad annum decimum septimum; *juniores* vero ad quadragesimum sextum, et supra eum annum *seniores*. Hanc divisionem tangit ULPIAN. *Dig.* 2, 15, 8.

Hippocrates insuper (apud CENSORIN. *De Die Nat.* 14, 3.4) septem aetates enumerat:

I	<i>infantiam</i>	ad septimum annum
II	<i>pueritiam</i>	ad decimum quartum
III	<i>adulescentiam</i>	ad vicesimum octavum
IV	<i>juventutem</i>	ad tricesimum quintum
V	<i>virilem aetatem</i>	ad quadragesimum secundum
VI	<i>senectutem</i>	ad quinquagesimum sextum
VII	<i>decrepita[m] sive senium</i>	ad vitae finem.

Animadvertite jurisconsultos eam fere aetatum divisionem sequi, quam tradit Isidorus, nisi quod interdum singulis aetatibus suos superaddunt gradus. Ceteri vero Latini scriptores plerumque ad Varronis aetates respiciunt.

Deinde alia quoque aetatum distinctio sive usu vel consuetudine, sive legum ordinatione obtinuit apud Romanos ad certas res jure definitas peragendas accommodata. Hinc:

1. *aetas adoptantis* octodecim annis major debebat esse, quam ejus, qui adoptabatur (MODESTIN. *Dig.* 1, 7, 40, 1).
2. *aetas ad nuptias* contrahendas generatim in feminis annus duodecim habebatur, in viris decimus quartus (multis locis apud juris consultos).
3. *aetas bona administrandi*, legibus constituta pro bonis administrandis.
4. *aetas pro adeunda hereditate* (JUSTIN. *Inst.* 1, 20, 6).
5. *aetas minor*, sive *pupillaris* aut *imperfecta*.
6. *aetas perfecta* aut *legitima* (JUSTIN. *Inst.* *ibid.*).
7. *aetas robusta*, quae statuitur viginti quinque annorum (ULPIAN. *Dig.* 48, 5, 15, 6).
8. *aetas ambigua*, dicta de pueris qui modo adulti sunt, nona[m] tamen perfecti viri (cfr. GELL. *Noct. Att.* 15, 20, 3).

Eadem ratione legibus certa aetas erat constituta pro muniis publicis quibusdam capessendis.² Inde habentur:

1. *aetas aedilicia*, quam ex Manutii sententia statuunt triginta septem annorum (PITISCUS, *Lexic. Antiq.* s. v. *aetas*).

2. *aetas consularis*, erat tertius et quadragesimus annus (Cic. *Phil.* 5, 17).
3. *aetas militaris*, quae, ex Livio, 25, 5, 3, erat annus decimus septimus (cf. etiam Nep. *Alc.* 3); quae vero vacationem a militia dabat, annus quadragesimus quintus.
4. *aetas praetoria*, quadragesimus erat ex quorundam sententia (vide PITISCUM, *loc. mem.*).
5. *aetas quaestoria et tribunicia*, quae parum quidem certae sunt (cfr. PITISC., *ibid.*).
6. *aetas senatoria*, ut est apud TACIT. *Hist.* 3, 9.
7. *aetas vigintiviratus*, quae statuitur ad munus exsequendum, cui viginti viri praeerant. (cf. TAC. *Ann.* 3, 29 et Cic. *Att.* 9, 2, 2).

Porro aetas, qua quis muniis in urbe admovebatur, annus erat vicesimus septimus; debebant enim cives Romani, qui magistratum aliquem urbanum appetebant, decem annos, nulla vacatione interposita, a primo militiae anno, stipendio meruisse. Et illa aetate id longo rerum usu homines solent esse consecuti, ut alios apte regere possint (POLYB. *H. R.* 16, 17, 4).

Deinde, ad similitudinem graduum aetatis humanae, enata est etiam distinctio aetatis quae invenitur apud mythologos Graecos et Latinos. Qui hominum tempora, quae historiam praecesserunt, in plures temporum tractus partiti sunt, a metallis cognominatos. Sic aetates mundi quattuor facit Ovidius, *Met.* 1, 89-150:

- | | |
|------------------------|--|
| 1. auream | (OVID. <i>Met.</i> 1, a vers. 89; TIBULL. 1, 3, 35 sqq.) |
| 2. argenteam, sub Jove | (JUV. <i>Sat.</i> 2, 6, 24; OVID. <i>loc. mem.</i>) |
| 3. aeneam | (JUV. <i>Sat. loc. mem.</i> ; OVID. <i>Met.</i> , 1, 125; cf. SUET. <i>Ner.</i> 2) |
| 4. ferream | (LACTANT. <i>Inst.</i> 5, 5, 2; JUV. <i>Sat. loc. mem.</i> 25) |

quibus vocibus significantur mores hominum primum sane simplicissimi, auroque similes exstitisse; deinde minus probandi aut degeneres; tum aliquanto deteriores, postremo corruptissimi.³

Sed et Latinae linguae fata ad humanae vitae exemplum comparata sunt, ut ei et sua esset *infantia*, *adulescentia*, *virilis aetas*, *senectus*, *senium*.⁴ «*Infantia* fuit ab Urbe condita usque ad Pyrrhi tempora; cujus vestigia exstant in fragmentis legis duodecim tabularum; ex quibus arguas Latinam linguam principio fuisse rusticanam et horridam. Et merito quidem —ut ait Vico—: nam principio Romani in nulla alia re, quam militari et rustica versabantur. *Adulescentia* linguae est a Pyrrhi temporibus usque ad Syllae: qua aetate coeperunt Romani a Graecis litteras ediscere, et Atticum mel in Latinum transvehere. *Virilis* autem *aetas* vixit Julii Caesaris et Octavii Augusti tempore, quod dicitur *aureum linguae saeculum*, quo Romani cum Graecis tum eloquentiae, tum sapientiae studiis contenderunt, ut in summa maximi imperii potentia, ut scriptor supra laudatus asserit, linguae robur firmatum sit. Porro, decrescenti aetati sive *senectuti* initium fecit Tiberius Caesar, qui cum brevi dicendi genere delectaretur, improprium et obscurum sermonis genus invaluit. Hanc demum aetatem terminat Adrianus, a quo linguae *senium* ad Theodoricum usque tractum est: bonarum artium studia aut a nemine aut a paucis excolebantur; itaque lingua semibarbara facta est».

At vero, ut redeam unde aberravit oratio, ad aetatem nimirum stricto sensu a nobis sumptam, hoc est, quatenus varia hominis vitae tempora notat, haec paucula subdam, quae apud scriptores reperiuntur: Varro (SERV. *Aen* 5, 295) aetates omnes ita dispescit: *infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventam, senectam*. Haec tamen singulae tripliciter dividuntur: ut sit prima viridis praeceps (cf. IREN. 2, 24, 4). Ad haec, Gellius (*Noct. Att.* 10, 28, 1-2) ait: «...pueros esse existimasse, qui minores essent annis septem decem, atque inde ab anno septimo decimo, quo idoneos jam esse reipublicae arbitraretur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum juniores supraque eum annum seniores appellasse». Haec ille. Praeterea D. Ambrosius (*De Abr. Patr.* 2, 9, 65), ita habet: «Quattuor aetates sunt hominis: pueritia, adolescentia, juvenus, maturitas». (Itidem cf. MART. *Cap.* 7, 734, et OVID. *Met.* 15, 200). D. autem Augustinus (*Divers. Quaest.* 58, 2), hosce aetatum fines invexit: *infantiam, adolescentiam, juventutem, gravitatem et senectutem*. (Cf. item Ps. AUGUST. *Serm.* 91, 1; ISID. *Orig.* 11, 2, 2).


Ex his, aequa lance ponderatis, facile nobis erit haec vitae tempora praestituere, antequam ad ea declaranda progrediamur:


I.	<i>Infantiam</i> <i>Pueritiam</i>	(«Prima aetas infantia est, quae porrigitur in septem annos» ISID. <i>Orig.</i> 11, 2, 3; GELL. <i>Noct. Att.</i> 10, 28, 1-2).
II.	<i>Adolescentiam</i> <i>Juventutem</i>	(«Triginta annorum aetas prima indolis est juvenis» IREN. 2, 22, 5; OVID. <i>Fast.</i> 3, 774; LIV. 40, 6, 3; SALL. <i>Cat.</i> 49, 2).
III.	<i>Mediam aet.</i> <i>Virilem</i>	(«Huc aetas inter juvenemque senemque, vis juvenalis erat» OVID. <i>Met.</i> 12, 464; GELL. <i>Noct. Att. loc. laud.</i>).
IV.	<i>Senectutem</i> <i>Senium</i>	(«A quinquagesimo anno declinat in aetatem seniore» IREN. 2, 22, 5; COLUM. 2, 1, 2. «Usque finem vitae... aetate corpus senio laborat» VARR. apud CENSOR. <i>loc. mem.</i>).

Sed jam paulo quidem enodatius

II. DE SINGULIS VITAE TEMPORIBUS

agam. Et in tanta locorum copia, in tanta opinionum diversitate, ad trutinam revocandi nobis sunt loci praecipui. Neque enim, ut vides, unum idemque sentiunt omnes, sed in varias abeunt sententias, adeo ut difficile sit et omnium placita conciliare et in unum illa redigere. Atque ut clarius appareant quae subinde disputanda sunt, en tibi conspectum, ubi totius rei summa licet intueri:





Atque imprimis

I. De Pueritia

Quae dicitur a natiuitate usque ad pubertatem, vel ad annum quintum decimum (apud nos *puericia*, *niñez*, *edad comprendida entre la infancia y la adolescencia*, *albor de la vida*, *menor edad*). Sic Cicero de *Archia* ⁴: «Ut primum ex pueris excessit Archias». Et *Orat.* 1, 1: «Ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus». (cf. *Cic. Senect.* 2, 4; *PLAUT. Truc.* 2, 5, 1; *TER. Adolph.* 4, 1, 21; *Cic. Rosc. Am.* 53, 153; *PLIN. N. H.* 30, 8, 2).

Sed vocabulum *pueritia* latius patet, nam ex classicis scriptoribus constat *puerum* dici etiam nonnumquam de his qui decimum quintum annum excesserunt, hoc est, sumpta virili toga, quod primae adolescentiae tempus est; qua de re Manutius ad illud Ciceronis *ad Fam.* 2, 1, 12: «Nisi meis *puer* olim fidelissimis consiliis paruisses». *Id. Ibid.* 12, 25, 5: «*Puer* egregius praesidium sibi primum, et nobis, deinde summae reipublicae comparavit»; hoc est, Caesar Octavianus, qui exercitum collegerat privato consilio et pecunia, annos natus undeviginti, ut ex Tacito, *Ann.* 13, 6, et *VELL. PATERC.* 2, 61, constat. (vide *FORCELLINI*, s. v. *aetas*).

Sed *pueritia* tres alias temporum series comprehendit:

a) *Infantiam* (a particula *in* et *fari*), sive *primam pueritiam*, quae quidem a natiuitate ad annos septem fere producitur (*ISID. Orig.* 11, 2, 2). Hispani dicimus: *infancia*, *niñez*, *puericia*, *primera o tierna edad*, *edad de la lactancia*. *ULPIANUS*, *Dig.* 27, 7, 1, ait: Est homini aetas qua nondum *fari* coepit, vel si loquitur, non rationabiliter tamen et congruenter. A scriptoribus fere appellatur «prima aetas» (vide *Cic. Fam.* 4, 4, 4; *QUINT. Inst.* 9, 3, 74; *SUET. Jul.* 30; *SENEC. Ep.* 99, 31, cet.) vel etiam «puerilis aetas» (*Cic. Orat.* 3, 85; *CAES. B. G.* 6, 18, 3; *NEP. Att.* 1, 2; *VITR.* 1, 1, 11; *VAL. MAX.* 6, 1, *pr.* 9, 3, cet.). Nota haec verba *Quintiliani*, *Inst.* 1, 1, 19: «Quantum in *infantia* praesumptum est temporis, *adolescencia* acquiritur». Hinc delabimur in

b) *Pueritiam*, quae a septem annis protenditur ad decem et septem. *Sallustius* (*Frag. Hist.* 2, 7): «Genus militum *suetum* a *pueritia* *latrociniis*». Suppetunt auctorum testimonia quamplurima: *Cic. Rep.* 1, 6, 17: «Nisi eum

vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem equestri loco natus pervenirem ad honorem amplissimum... (cfr. HOR. *Od.* 1, 36, 7; SALL. *Jug.* 67, 4; CIC. *Fam.* 1, 7, 4; TAC. *Ann.* 14, 3; ID. *Hist.* 4, 14).⁵

Idque est considerandum inter pueritiam et adolescentiam adesse spatium non sat bene praefinitum, quod incipit anno septimo decimo et producit ad adolescentiam, sive *primam juventutem*. Ita, ut supra dixi, Augustus appellatus est puer cum jam undevicesimum aetatis annum ageret (CIC. *Fam.* 12, 25, 3); Scipio autem cum vicesimum (SILV. *Ital.* 15, 33 et 34). Igitur, pueritia stricte sumpta est secunda pars hujus vitae temporis in tres partes distributi.

Etenim apud priscos *puer* est homo quilibet, sive masculus sive femina (Cf. PAUL. *Dig.* 50, 16, 161). Item, non raro usurpatur sensu *filiifamilias*, vocabulum juris proprium, quod quidem designabat varias liberorum aetates, *infantiam, pueritiam, adolescentiam*, donec *puer paterfamilias* evasisset, vel certe ab omni tutela liber fuisset omnino. Exinde *puer*, sensu lato, opponitur vocabulo «*pater*», vel ut verius dicam «*pueri*» ea forma quae est in plurali numero objicitur voci «*patres*», si aetatem non autem cognationem consideramus. Hinc est quod PAUL. *Dig.* 66, 204, his verbis vocem «*puer*» declaret: «Pueri appellatio tres significationes habet: unam, cum omnes servos *pueros* appellamus; alteram, cum *puerum* contrario nomine puellae dicimus; tertiam, cum *aetatem puerilem* demonstramus». ⁶

His dictis, antequam ad tertium pueritiae spatium veniamus, seu ad *adulescentiam*, ansam arripere liceat ut de *pubertate* pauca dicamus. Ut nemo ignorat, haec aetas nomen sortita est, quod *pubes* in ea nascatur, quae in maribus decimus quartus est annus, duodecimus in feminis. MODESTIN. *Dig.* 1, 7, 40: «Utique plena pubertate; id est, decem et octo annis, praecedere debet». (Cf. etiam. MACROB. *Satur.* 7, 7; PLIN. 25, 95, 3, JUST. 9, 6, 2 et 23, 1, 1, cet.). Puberes interdum dicuntur adulescentes, juvenes, qui arma ferre possunt. Ita CAESAR (*B. G.* 5, 54, 3): «Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi omnes puberes armati convenire coguntur». Vide etiam TAC. *Ann.* 13, 39 et CAES. *B. C.* 3, 9, 2. Interdum significant quoscumque pueritia egressos et *pube* vestitos, sive juvenes sint, sive senes.⁷ Hac significatione invenitur apud SALL. *Jug.* 28, 3 et CAES. *B. C.* 2, 13, 4. Et, ut uno verbo dicam, *puberes* sunt omnes adulescentes, juvenus, juvenum multitudo, pueris ac senibus exceptis. Ita CICERO *Mil.* 23, 61; (adde TACIT. *An.* 6, 1; VERG. *Aen.* 7, 219, altos.)⁸ — A deverticulo non inutili in viam redeo.

c) *Adulescentiam*: (apud nos: *adolescencia, juventud, mocedad, edad temprana, flor de la edad, flor de la vida*). Est prima hominis aetas post pueritiam et ante juventutem. Incipit ab anno decimo quarto et usque ad vicesimum octavum tenditur, ut docet ISID. *Orig.* 11, 2, 2. vel, quod parum distat, ut ait Forcellinus, ab anno quinto decimo ad tricesimum, ut docet VARRO (apud CENSORIN. *loc. mem.*). OVIDIUS haec habet, quae nostra collustrare possunt.

«Puer... juvenisque videris et media est aetas inter utrumque tibi» (FAST. 3, 774). Et IREN. 2, 22, 5: Triginta annorum aetas prima indolis est juvenis. Quin etiam a Latinis scriptoribus interdum adulescentes dicuntur, qui annum tricesimum excesserunt, ut a Cicerone (*Orat.* 2, 2): adulescens vocatur L. Crassus, qui triginta quattuor annos natus erat; a Sallustio (*Cat.* 49, 2) C. Caesar, qui triginta tres, vel ut alii volunt, triginta quinque adolescentulus nominatur; et a NEP. *Att.* 8 et 16; itemque a Cic. *Phil.* 2, 44, Brutus et Cassius, quo anno praeturam gerebant, hoc est, aetatis quadragesimo, adulescentes nuncupantur. Adde etiam Cic. *Phil.* 2, 46 et *Catil.* 1, 8. MANUTIUS autem, antiquitatum vir longe peritissimus, ad Cic. *Fam.* 2, 1, 2, ita habet: «His tamen, aliisque locis, quae afferri possent, non tam aetatis annos notare voluisse videntur quam ejus vigorem floremque; vel dicendum, adulescentes vocari homines tam grandes natu, ratione, seu respectu seniorum, quibuscum vel loquuntur vel comparantur. Senum enim mos est juniores se adulescentes appellare». ⁹

Alioqui, adulescens (*juven, mozo, chico, muchacho, adolescente*) is dicitur universe qui in vita est ut augeatur vel incrementum accipiat. Speciatim vero ad hominis aetatem refertur, id est, de illo qui pueritiam utique excessit, et eo tempore est, quo maxime crescat, sed nondum ad juventutem pervenit seu virilem aetatem. CICERO (*Fam.* 11, 7, 3): «Adulescens, vel puer potius»; (Id. *Tusc.* 4, 25, 40): «Adulescens perditus et dissolutus».

Ceterum, participium praesens *adolescens* aetatem maturiorem designat quam *adultus*. Siquidem vox illa notat hominem qui jam in postremis annis se habet, hoc est qui jam crescere desinit; *adultus* autem prae se ferre videtur tempus infantiae qua vir coepit incrementum accipere. Sic figurate dicimus «*adulta nocte, adulta aestate*» (TAC. *Hist.* 3, 23 et *Ann.* 2, 23), quae quidem locutiones idem sonant atque «*media nox, media aestas*», itaque dimidium, non autem finem exprimunt.

Difficile autem dictu est quibus annis *adultae aetas* constituatur. Ex dictis conicere licet eam incipere plus minus ab anno decimo ad duodecimum. Quandoquidem «*adultae aetate puer*» nondum est *adolescens* nec multo minus *juvenis*. ¹⁰

Quae de his *pueritiae* finibus diximus, multis auctorum suffragiis probare possumus: SENECA. *Ad Marc.* 21, 7: «*Infantiam in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, pubertatem juvenus, juventutem senectus abstulit*». (Cic. *De Rep.* 2, 11, 22: «*Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum, neque ut in cunabulis vagientem relictum, sed adultum jam et paene puberem?*» TAC. *Hist.* 1, 31; Cic. *Brut.* 7; TAC. *Ann.* 1, 46. Sed haec hactenus. Pueritam excipit

2. Juventa

quae proprie est aetas juvenilis, adulescentia, florens aetas (*la juventud, la edad juvenil*). Plinius (*N. H.* 7, 2, 21): «In juventa candido capillo, qui in senectute nigrescat». Livius (35, 42, 3): «Non ita se a juventa eum gessisse». Martialis (2, 90, 6): «Quintiliane, vagae moderator summe juventae».

Nota *juventa* a *juventate* et *juventute* differre. Namque *juventa* dicitur quam maxime de aetate; *Juventas* autem est dea, quae juventuti seu florenti aetati praeesse putabatur (cf. PLIN. *H. N.* 35, 36, 44 et LIV. 36, 36, 2); *juventus* vero est multitudo juvenum, uti praeter alios docet NON. 5, 42, quamvis revera discrimen hoc non observari ab omnibus videtur: cf. CIC. *Orat.* 3, 24; PLAUT. *Mostel.* 1, 129; CURT. 1, 1, 38, cet. Hic praeteriri non potest locus ille Plinii (*N. H.* 10, 23, 3), qui ad rem nostram facit. «Ut ciconias nemo advenire sentit, sed advenisse, nemo discedere, sed discessisse, quod noctu clanculum faciunt utrumque, ita juventutem nemo intelligit discedere, sed discessisse, et senectutem non sentimus advenire, sed advenisse».

Age nunc, *juventa* complectitur cum *adulescentiam* tum *virilem aetatem*¹¹, excludit autem *pueritiam* stricto sensu, et *senectutem*. Uti videtur, incipit anno circiter vicesimo, et ad quadragesimum producit. Ut adulescentia propius accedit ad infantiam, sic juventus ad virilem aetatem sive senectutem. Audiamus Ciceronem (*Senec.* 10, 33): «Infirmitas puerorum, et ferocitas juvenum, et gravitas jam constantis aetatis». Et locus ille Livii momenti quidem maximi ad id suffragandum: (40, 6, 5): «Perseus jam tricesimum annum agens, Demetrius quinquennio minor; medio juventae robore ille, hic flore». Haud aliter Juvenalis (*Sat.* 13, 55): «Hoc grande nefas... Si juvenis vetulo non surrexerat, et si Barbato cuicumque puer». (cf. PLIN. *Epist.* 6, 26, 3; TACIT. *Ann.* 14, 55).

Et prius quam gradum profero, tibi ante oculos denuo subjiciam locum illum Ciceronis, (*Senect.* 2, 4) quem jam cursim memoravi: «Qui enim citius adulescentiae senectus, quam pueritiae adulescentia obrepit?» Ubi *adulescentia* complectitur totam vitae partem, quae porrigitur inter *pueritiam* et *senectutem*. Aliis verbis, omnia ambire videtur, quae a nobis exprimi solet ope vocum *adulescens*, *juvenis* et *vir*. Illud etiam Senecae apponam (*Epist. ad Lucil.* 70, 3): «In hoc cursu rapidissimi temporis, primum *pueritiam* abscondimus, deinde *adulescentiam*, deinde quidquid est illud inter juvenem et senem *medium*, in utriusque confinio positum, deinde ipsius *senectutis* optimos annos: novissime incipit ostendi publicus finis generis humani». — Sed pergo jam ad tertium humanae vitae spatium.

3. Maturitas

quae partim virili aetate partim senectute constat. *Maturitas* idem est ac *tempestivitas* sive temporis maturum, dicitur autem de tempore et hominum

aetate. Plura exempla suppeditant auctores (Vide COLUM. 4, 34, 4 et Cic. *Nat. Deor.* 2, 46, 93, cet.). Nunc nonnulla scriptorum attexam, quibus facile videmus *maturitatem* ad aetatem quae est intra juventutem senectamque pertinere: MANIL. 2, 850: «maturae tempora vitae». RUFIN. *Orig. in Cant.* prol. 62, 23: «Nisi quis ad aetatem perfectam maturamque pervenerit». AMBROS. *Hexam.* 4, 9, 66. «Aevi maturos... citius senescere». (cfr. TAC. *Ann.* 1, 4, 3; ROMUL. *Epist. Aesop.* 4; SUET. *Cal.* 44, 1; OVID. *Met.* 15, 210).

Immo vero, aliquando —et quidem non raro— maturitas pertinet ad senectutem. LUCR. 3, 1039: «Matura vetustas». OVID. *Met.* 3, 347: «Maturae senectae». HOR. *Art. P.* 115: «Maturus senex». Vide etiam JUST. 41, 5, 5; CLAUD. 28, 557; LIV. 7, 1, 8; alios.

a) De *virili aetate*. HORATIUS *Art. P.* 179: «Ne forte seniles mandentur juveni partes, pueroque viriles». Et NEPOS, *Milt.* 1, 1: «ea... esset aetate, ut confidere cives possent». Ovidius autem, *Met.* 12, 464: «Huic aetas inter juvenemque senemque, vis juvenalis erat». Aliquando etiam aetas hujusmodi appellatur *media* (PLAUT. 2, 3, 21; PHAEDR. 2, 2, 3; COLUM. 11, 1, 3; SEN. *Epist.* 78, 27); *confirmata* (Cic. *Fam.* 10, 3, 2); *firmata* (VERG. *Ecl.* 4, 37; CELS. *met.* 3, 22; LUCAN. 2, 631); *corroborata* et *robusta* (VAL. MAX. 8, 13, 3; QUINT. *Inst.* 1, 12, 1); *valida* (TAC. *Ann.* 6, 46; 13, 1; 14, 56), *sufficiens*, *solidior* cet.

Jamque postremum humanae vitae spatium, concitato, ut ajunt, pede tangendum nobis est.

b) De *senectute*. — «A quadragesimo et quinquagesimo anno —ait IREN. 2, 22, 5— declinat jam in aetatem seniore».

Notandum est discrimen inter *senectam*, *senium* et *senectutem*.¹² Ad rem ISID. *Differ.* 1, 531: «*Senectus* est gravior aetas post juventutem succedens, *senium* autem ultima aetas post gravitatem veniens. Sic *senex* et *senior*. *Senecta* autem est ipsa sors, sive condicio senectuti accedens». *Senecta* igitur —quae sensum semper abstractum prae se tulisse constat— notat quasi finem vitae; *senectus* autem quid morale significat;¹³ *senium* vero audit pondus vel onus senectutis (apud Hispanos *decrepitud*) in quo qui sunt *senes* proprie appellantur, quod corpus *senio* laborare videatur. Sic DONAT. ad TERENCE. *Eun.* 2, 3, 10: «Plus dicit *senium* quam *senem*; et *senex* ad aetatem refertur, *senium* ad convicium». Patrio sermone dicimus *ancianidad*, *vejez*, *senectud*, *edad proveccta*, *decrepitud*, *longevidad*, *chochez*...

Praeterea *homo vetus* se habet tanquam locutionem mere physicam, *senex* autem moralem, et ut ita dicam *aestheticam*, sive in bonam sive in malam partem, quatenus scilicet in praestantiore loco ponit dotes *seniumve* qualitates. *Vetus homo* opponitur vocabulo *juvenis*, *senex* vero voci «*vir*». Porro *juventa* ad quadragesimum circiter annum finem habet; *virilitas* ad sexagesimum; *senex* vero majorem senectutem innuit quam *vetus homo*. Discrimen a Varrone notatur (CENSOR. *de Die Nat. loc. mem.*) inter vocem «*senex*» et «*senior*» in hunc modum: homo *senior* aetatem designat inter quadragesimum quintum et sexa-

gesimum annum, senex vero a sexagesimo anno ad finem usque. Re tamen vera, discrimen ejusmodi non observatur ab scriptoribus Romanis. Ceterum, Seneca (*Consol. ad Marc. 11, extr.*) ait: «Hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum».

Homo dicitur etiam *grandaevus* (a *grandis* et *aevum*), qui est *grandis aevi*, seu provectoris aetatis (hispanice *de mucha edad, viejo*). PLIN. *N. H.* 2, 5, 3: «Deos alios esse grandaevos, semperque canos; alios juvenes atque pueros». TAC. *Hist.* 3, 33: «grandaevi senes». Cf. OVID. *Met.* 5, 99 et 7, 160; VERG. *Aen.* 1, 125. Hinc nomen abstractum *grandaevitas* idem sonat atque aetas provector (*edad provectora*), ACCIUS apud NON. 2, 365.

Denique juvabit aliqua expendere de vocibus *longaevus* et *annosus*. Prior est vox poetica a *longus* et *aevum* (quod alterum vi compositionis in adjectivum migravit); proprie est *annosus, senex, longi aevi (viejo, de larga edad)* (Cf. VERG. *Aen.* 3, 169 et 2, 525). MARTIALIS 14, 27, 3: «Longaevi capilli», et PROPERTIUS 4, 1, 52: «longaevum caput». Absolute *longaeva* dicitur anus: OVIDIUS *Met.* 10, 462: «Cunctantem longaeva manu deducit (nutrix)». Praeterea, apud cadentis aetatis scriptores, usu venit et *longaevitas (longevidad)*. Cf. MACR. *Satur.* 7, 5.

Altera vox de qua agimus est *annosus*, adjectivum a voce quae est *annus* notatque virum multorum annorum. OVID. *Fast.* 2, 571: «annosa anus». ID. *Met.* 7, 237: «annosa senectus». Dicitur etiam de rebus: PLIN. *N. H.* 24, 1, 2: «annosae arbores» HOR. *Sat.* 2, 3, 274: «annoso palato» (agitur de feris).


His igitur rite perpensis, fas erit gradationem statuere hujuscemodi:

1. senectus [a 55° ad 70 ^{um}]	2. senium [a 70° ad finem]
vetus homo — senior — senex	grandaevus — longaevus — annosus


Senectus, vel potius *senium* idem est atque infirmitas, nam abesse hanc aetatem a sepulcro negant» (CIC. *Att.* 16, 7, 7), et adeo proxima morti est, ut «portus propior huic aetati» (CIC. *Att.* 14, 19, 1) videatur; ideoque «mori melius» est (CIC. *Att.* 14, 22, 2). Et Caecilius *Com.* 29: «In senecta... deputo miserrimum sentire ea aetate eumpse esse odiosum alteri»¹⁴. Ergo, «adulescentiam florem aetatis, senectutem occasum vitae» (CIC. *Top.* 32) esse dicit orator Romanus, qui in opere *de Senectute* summis laudibus senes extollit.

Jam vero ex dictis patet, opinor, quot fuerint apud Romanos hominis vitae gradus, et quid unusquisque sibi velit omnino. Nunc quae fusius delibata, paucis perstringam. Ut vidimus, principio statim venit in medium prima vitae pars, hoc est, *pueritia*, e vestigio sequitur altera, id est, *juventa*; succedit suo ordine tertia, *maturitas*. Quas quidem in sex alias distribui partes, juxta scriptorum sententiam, videlicet: 1) *infantiam*, 2) *pueritiam*, 3) *adulescentiam*, 4) *virilem aetatem*, 5) *senectutem*, 6) *senium*. Sed ita tamen, ut aliae in aliis sese inferant et comprehendant¹⁵. Sic, *pueritia* tria complectitur tempo-

ra, ita ut ab *infantia* ad *adulescentiam* protrahatur, *juventa* autem contineat rursus *adulescentiam* et aliquot annos *virilis aetatis*; *maturitas* vero ambiat *virilem aetatem* et *senectutem*, quam *senium* excipiat, quod jam aetatem devexam fractamque designet. Quae quidem omnia, ut melius ad oculum pateant, hanc subjiciam tabulam. In qua tamen te monitum velim non esse mihi in animo hisce vitae gradibus certos omnino fines praestituere —quod fieri nullo modo potest—, sed solum quosdam vitae terminos adumbrare, ut legentibus morem geram, faciamque tironibus satis. Atque idcirco quos hic aetatum finibus numeros subjeci, non esse, ut per se liquet, omnino praefinitos, sed tantum ex antea dictis, plus minus supputatos.



Quin etiam operae pretium duxi hic attexere fines aetatum, qui apud Hispanos fere vigent, ut cum eis qui apud Latinos usu venerunt conferre commode possis



* Edad madura o proveccta: la viril cuando se acerca a la ancianidad.
Aetas matura vel proveccta: virilis autem, cum ad senectutem accedit.

Ac tandem sisto calamum: metuo enim ne tu nimium putes. De cetero, fateor equidem multa adhuc desiderari in hac commentatione posse, quae quidem hic adscribere non graverer, nisi brevitati consultum vellem. Spero tamen fore ut tota res satis abunde sit enodata.

LEO M.^a SANSEGUNDO, O. S. B.

NOTAE

1. *Aetas*, -atis f. contractio ab *aevitas*. A nomine adjectivo *atvos* exoleto derivatum esse videtur. «Antiqui... aevitas... dicebant ab aevo» PRISC. *Gramm.* 2, 81, 6. Et ISID. *Orig.* 5, 38, 3: «Dicta aetas quasi aevitas, id est similitudo aevi. *Aevitas*: Lex XII Tab; GELL. *Noct. Att.* 20, 1, 25; CIC. *Leg.* 3, 7 et 3, 9.

Aetas totum vitae spatium significat. Cf. SERV. *Auct. Aen.* 10, 63. Proprie autem dicitur de humanae vitae tempore. Translate occurrit per prosopopoeiam, et tunc ad vitam populorum refertur: CIC. *Leg.* 2, 9: «quae vis... senior est quam aetas populorum et civitatum». Id. *Brut.* 39; «ut populi Romani aetas est», cetera. Vide etiam PLIN. *Paneg.* 10; STAT. *Silv.* 1, 2, 187. Adde, sis. TH. L. L. s. v. *aetas*, 1123-1138. *Dict. Étymologique de la Langue Latine*, ERNOUT-MEILLET, Paris, 1939, s. v. *aevus-i*.

2. De aetate ad certa munera apta, vide inter alios, ULP. *Dig.* 26, 2, 32, 2; PCMP. *Dig.* 27, 7, 1; MODESTIN. *Dig.* 46, 1, 41; 34, 3, 20, 1; SPART. *Did.* 1, 4. Item cf. quae de Vestalibus dicit ULP. *Dig.* 50, 5, 2 et HIER. *Epist.* 60, 10: «juvenilem aetatem incongruam sacerdotio causabatur», cet.

3. Apud christianos sex mundi aetates numerari solitum, testis est AUG. *Civ. Dei.* 10, 14, 2 et 16, 43, 1; CHAT. *Rud.* 12, 39. Item ISID. *Orig.* 5, 38, 39 et CASSIOD. *Var.* 1, 10, 5.

4. Vide *Alma Roma*, Ann. VIII, fasc. III, pp. 47-48: «De latinae linguae aetatibus», ex scriptis I. B. VICO recognovit C. RONCHETTI.

5. Ut fere fit, in omnibus vitae spatiis, pueritia additionibus pressius definitur. Ita, verbi causa: «Inde ab ineunte aetate» (SUET. *Ner.* 22; *Inscr. Chris. Gall.* LE BLANT, 545, p. 1127-41). «Quantum mihi puerilis aetas forenses feriae concesserint» (CIC. *De Orat.* 3, 85). Vide etiam VITRUV. 1, 1, 11; CELS. *Med.* 5, 28, 15; PAUL. *Dig.* 50, 16, 204. Non inutile erit consulere etiam *Cod. Just.* 6, 61, 8, 3.

6. Juvat afferre quae noster RAYMUNDUS DE MIGUEL in suo «*Tratado de Sinónimos*» hac de re disputavit: «*Puer, infans, liberi: Puer*, en el latín antiguo, es una expresión común, que sustituye unas veces a *filius* y otras a *filia*. Frecuentemente designa al niño con relación a sus padres, y sobre todo al niño de condición libre. *Puer*, como término popular, es sinónimo de *filius-familias*, expresión jurídica para designar la edad de la dependencia civil, que abraza la *infantia* o *prima pueritia* (desde el nacimiento hasta los siete años), la *pueritia* propiamente tal (desde los siete hasta los diez y siete), y aun la *adolescencia* que dura hasta que el *puer* viene a ser *paterfamilias*, o por lo menos queda enteramente libre de toda tutela. *Pueri* eran propiamente hablando los hijos de la casa, pero por un eufemismo se dio después la misma denominación a los demás miembros subordinados a ella, en vez de *servi* o *famuli*... *Infans* (de *in* privativa y *fari*) el infante. el niño, hasta la edad de siete años». *Nuevo Diccionario Latino-Etimológico*, Madrid, 1857, pág. 54, «*Tratado de sinónimos*».

7. A voce *puer* formantur plura substantiva: *pusus* (POMPON. apud VARR. *L. L.* 7, 3, 28), *putus* (*Ibid.*), *pullus* (HOR. *Sat.* 1, 3, 45 et SUET. *Calig.* 13 *in fin.*), *pupus* (SUET. *Ibid.*) et *puer*. *Pusio* et *puer* notant quoddam infantiae tempus bene praefinitum, hoc est, illud quo incipit virilitas vel pubertas. Sed *pusio* potius indicat florem aetatis, dum *puer* ipsi aetatis robur. E. BARRAULT in suo «*Tratté des Synonymes de la Langue Latine*», Paris, 1853, p. 471, ait: «Le *pusio* est mûr pour l'amour; le *puer*, pour les armes et les autres occupations sérieuses». Et mox in-

fra: «*Pubes* est à *pubertas* comme le substantif collectif *juventus* est au substantif abstrait *juventa*. La *pubertas* est presque aussi étendue que la *juventa*. Le *puber* a déjà les qualités viriles; le *juvenis* les a encore. Le *adolescens* est nécessairement *puber*».

8. RAYMUNDUS noster (*op. mem.* p. 3)) has verborum differentias statuit: «*Adulescens*, participio de presente, señala por un capricho del idioma una edad más adelantada que *adultus* participio de pretérito. El *puer adulta aetate* no es todavía *adulescens*. Difícil es determinar la *aetas adulta*; tal vez deba fijarse a los diez o doce años por punto general. *Pusio* y *puber* designan el término de la *pueritia*: el primero envuelve cierta idea desfavorable (*Pusio* interdum impudicum quid sapit, ut ait FORCELLINI, s. v. *pusio*); el segundo es sin disputa más noble».

9. «*Adulescentia* peculiare et suum aliquod et privatum tempus aetatis complectitur, ut et *pueritia*. *Juventus* vero accipitur generatim saepius, et pro triplici aetate, ut secum ambas priores includat: *Trojana juvenus*». AUSONIUS POPMA, *De Differentiis verborum*, Neapoli, MDCCLXXIX, p. 30.

10. Vide quae cl. vir. LUDWIG DOEDERLEIN, in suo opere *Handbuch der lateinischen Synonymik* (Leipzig, 1849), p. 187-188 dicit de variis hominum aetatibus. «*Puer* [παῖς im weiteren Sinn ist der Mensch in den abhängigen Jahren, so lange er noch nicht Familienvater sein kann oder ist, als Junggesell, in drei Perioden: als *infans*, Kind, νήπιος παιδίον, vom ersten Jahr; als *puer* im engern Sinn, Knabe, παῖς, vom siebentem Jahr; als anfangender *adolescens*, Jüngling, μερᾶκιον, νεανίας vom sechzehnten Lebensjahr. *Juvenis* im weiteren Sinn ist er, so lange er in den kräftigsten Jahren steht, etwa von der Zeit der Mündigkeit bis zu den ersten Spuren des Alters, wie der junge Mann, νέος, in drei Perioden: als aufhörender *adolescens*, Jüngling, vom achtzehnten; als *juvenis* [von ζῆω] im engern Sinn, νεανίας, vom vierundzwanzigsten; als anfangender *vir*, Mann, ἀνήρ, vom dreissigsten Lebensjahre an. *Maturus* ist er in den reifsten Jahren, wenn das wilde Feuer der Jugend verraucht ist, in drei Perioden: als aufhörender *vir*, Mann, ἀνήρ, vom vierzigsten; als *vetus*, älterer Mann, γέρον, vom fünfzigsten; als *senex*, Greis, πρεσβύτης, vom sechzigsten Jahre an.

11. Ad ea quae deinceps producenda sunt exempla, haec accipe de *virili aetate*, quae, ut dixi, partim ad *juventam*, partim ad *maturitatem* pertinet: CATO, 76: «ea studia constans requirit aetas, quae media dicitur [33] gravitas constantis». VAL. MAX, 8, 13, 3: «Robusta jam aetate sacerdotium adeptus». Consule etiam QUINT. *Inst.* 1, 12, 1, et TAC. *Ann.* 3, 31.

12. *Senecta* bezeichnet das Greisenalter indifferent, bloß als Lebensstufe; *senectus* aber das ehrwürdige und erfahrene Alter, welches Ehrfurcht und Schonung gebietet; *senium* das schwächliche und drückende Alter, welches als eine Krankheit anzusehn ist. DOEDERLEIN, *op. mem.* p. 244

13. *Senectus* dicitur etiam de bestiis: PLIN. *H. N.* 11, 64, 2; VERG. *G.* 3, 96. Metonymice autem, apud VERG. *Aen.* 5, 416: «Temporibus geminis canebat sparsa senectus». Adde VAL. FLAC. 6, 283 et HOR. *Epod.* 13, 4. Consule etiam CIC. *Brut.* 2 a *med.* et 76 a *med.*

14. *Senectus* apud veteres velut dea jam est habita, id est Erebi et Noctis filia, teste HYGIN. *praef. fab.*, coll. CIC. *Nat. Deor.* 3, 17 Hinc inter monstra in faucibus Orci collocata recensetur a VERG. *Aen.* 6, 275 «Tristis quoque Senectus».

15. Ut ait E. BARRAULT. *op. mem.* p. 469 sqq., «Il faut se garder de considérer les termes qui expriment les différents âges de la vie humaine comme représentant des idées coordonnées, qui se font suite ou opposition». Vide etiam DOEDERLEIN, *op. laud.* ibid.; A. SCHMITSON, *Geist der lateinischen Sprache*, Leipzig, 1804; et J. HILL, *The synonyms of the latin language with critical disputation*, Edimbourg, 1804.

NUM LATINUS SERMO GRAMMATICORUM LEGIBUS AC PRAECEPTIS SIT COMPARANDUS

TU, QUAMCUMQUE DEUS TIBI FORTUNAVERIT HORAM,
GRATA SUME MANU...

Opusculum in *Certamine Capitolino V*, Romae mense
aprili anno MCMLIV habito, publica laude ornatum

Tametsi omnes artes et disciplinas in dies procedere litteris aequae ac rei publicae opibus et imperio augeri gloriosum atque utile est semper, tamen, uti civitates ob nimiam rectorum cupiditatem non raro decrescunt, sic litterae ob nimium grammaticorum studium paulatim senescunt.

Nihil de varia et diversa Platonicae Peripateticaeque philosophiae fortuna disputo: utraque enim tum demum aut corrui aut certe plurimum detrimenti cepit cum impotenti sectatorum studio ad summum perducta, sua ipsius mole laboraverit. Unam illam Latinitatis tradendae artem, quam grammaticen vulgo appellant, persequor; opus exiguum atque tenue, sed ob immoderatam hominum industriam adeo amplificatum est ut omnia percurrere cupientes in grammaticorum libros tota vita sua ingenia exercent. Quod si haec praestantium virorum tentamina eo spectant ut Latini sermonis quaedam historia exstet, non reprehenderim, quin immo laudaverim; si autem ea Latinitatis discendae causa mihi ostendantur, tantum abest ut ipsa sequar, ut effici non possit quin reiciam, utpote quae nullius momenti utilitatisque sint.

Prima enim illa Guarini Veronensis rudimenta corrigendi atque illustrandi causa boni praeceptores ita corruerunt ac depravarunt ut qui Latine scire vellet, a grammaticorum insidiis praecipue caveret. Quod ut evincam, cum mihi necesse sit de grammaticorum tricis et ambagibus aliquanto liberius disputare, quaeso obtestorque vos, carissimi auditores, ne me honestissimo hominum generi infensum atque inimicum existimetis, qui et natura ipsa ad benevolentiam comparatus, omnem invidiae suspicionem diligentissime fugio et pro suscepto vitae instituto eorum in primis amore delector, qui de litteris bene mereri summa ope nituntur. Etenim sunt eorum lucubrationes, etsi ad recte loquendum non necessariae, tamen ad cognoscendum non illiberales: neque ego hanc industriam cum eruditione ac doctrina conjunctam sperno, sed ad Latinae orationis usum non conferre censeo. Et sane, ubi puer singu-

las nominum ac verborum declinationes memoriae mandavit, pauca illa in universum praecepta perdidicit, in quibus quasi capitibus tota Latina lingua vertitur, quid est cur ipsi non optimus scriptor statim tradatur, quem nocturna diuturnaque manu verset habeatque veluti unum ex familiaribus, quocum magistri ope adjutus quasi loquatur ac vivat? Cum is enim maximam diei partem in scholis consumat, quid causae est cur perpetua rerum Latinarum tractatione Latine minime discat, domi vero exercitatione multo minore minusve accurata a parentibus, a nutricibus, a vernis domesticam linguam assequatur? Ego vero ita mihi persuadeo teneros angustosque puerorum animos immensa atque infinita praeceptorum, appendicum, scholiorumque multitudine terreri atque opprimi, ut ne respirare quidem possint, nedum se explicare modo Latine interrogantes modo respondentem audeant. Namque, uti subitarius miles si in medios hostes statim immittatur, periculi magnitudine atque insolentia animum despondet, sui prorsus oblitus, telum vix expedit; ita litterarum palaestrae tirunculi ingentes grammaticorum commentationes aggredi ausi, cogitatione ipsa difficultatis ac laboris exanimantur spemque omnem evadendi statim abiciunt. Hinc scholae taedium, hinc quaesiti saepe morbi, hinc impatiens a studiis vacandi desiderium, hinc quaeque commenta illa non modo ad otium callidissime excogitata, verum etiam ad ignaviam impune fovendam. Quae si probem, ad nuces sine dubio redire videar puerisque similia facere: sed tamen quotiescumque animo collegi exsua illa frugisque omnis ac delectationis expertia grammaticorum praecepta, quibus tot annos adolescentuli magno ingenio praediti obtunduntur, incredibili quadam miseratione commoveor. Quotus enim quisque vestrum fuit qui ad omnes litterarum labores bene a natura informatus aequo animo scholas frequentare atque domestico otio carere institueret antequam grammaticis depositis Latinos scriptores pertractaret eorumque lectione atque imitatione aliquid conaretur? Ego vero, ut de me ipso dicam, innumerabili atque implicatissima legum multitudine obruebar; nec nautae adversa tempestate in alto jactati magis portum petunt quam ego, ut me ab omni occupatione expedirem, exoptabam. Simulatque vero paulo amoeniora attingi coepique ex oratoribus ac poetis aliquid delibare, tum quasi in novum orbem ex improvviso elatus, Latinae linguae studium adeo arripui ut ludorum ac litterarum feriarum oblitus, saepe magno cum valetudinis incommodo libris noctu diuque inhaererem. Quod si summo proficiendi studio aliquando respondisset ingenium, ut certe, magno cum dolore dico, numquam respondit, nec vos, in hoc tempore, plebeo dicendi genere iniquo animo tenerem, nec hac aetate ullus Latinus orator esset, cui sermonis integritate, numero, subtilitate cederem. Nunc autem in magna virium infirmitate, si quid valeo, totum Ciceroni, Caesari, Livio, Vergilio, Horatio ceterisque ejus aetatis elegantissimis scriptoribus debeo. Nihil a me repetundarum jure Priscianus, nihil Donatus, nihil Valla, nihil Alvarus postulent, nihil recentiores sibi vindicent, quos omnes

una cum crepundiis vel abieci vel deposui; neque eos umquam in manus cepi, nisi his diebus ut huic orationi materiam aptam compararem. Itaque eorum monita ac praecepta ex animo jamdiu exciderunt nec quidquam infestius ad stilum retardandum nobis accidere potest quam tristis quaedam memoria atque recordatio, unde omnia arida, sicca, exanguia proficisci solent. Quid enim aliud est grammaticè dicere quam numquam Latine loqui, ut ipsis Quintiliani verbis utar? Namque, ut omnia grammatici vere dicant, tamen non potest fieri quin oratio non solum sine verbis barbaris peregrinisque, verum etiam sine soloecismis, ut Graeco verbo utar, sit? Qua in re si laus Latinitatis tota inest, ne ipse Cicero quidem Latinus est, cujus libri, si ex grammaticorum cavillationibus perpendantur, soloecismis non carent. Neque vero hoc illos latet sed quae in aliis scriptoribus reprehendunt, in Cicerone, nomine mutato, figuras appellant atque veluti lumina variandae orationi apta maximis laudibus extollunt. Omnes enim nituntur Latinum sermonem certis quibusdam legibus complecti; quibus ipsi cum contraria multa apud Latinos scriptores legant, schemata, metaplasmos, antiptoses, verba aut ex Latino aut ex Graeco sermone translata alia speciosa figurarum nomina hac mente adhibent ne grammaticorum praecepta cum illis ipsis scriptoribus, ex quibus sumpta sunt, pugnare intellegamus.

Fuit olim Latina lingua plane sui juris, ex multarum gentium congressu Romae profecta populari convictu communique rerum tractatione aucta, denique usu ipso et sorte quadam inveniendi ligandique verba, non ratione atque consilio ad hanc incredibilem copiam propagata numerisque suis expleta. Jam vero hanc praeceptis totam continere idem est atque in scientiam, non in linguam inquirere: quod ipse Varro, analogiae molestissimus exactor, cum aliquando didicisset, non solum nullam esse animadversionem similium, verum etiam in omnibus fere verbis unam consuetudinem dominari ostendit. Hoc mirum Alvaro visum est utpote qui in legibus de nominibus, verbis participiisque statuendis fere quingentas multisque annotationibus distinctas atque illustratas excogitarit. Is enim fuit vir magno ingenio, magna industria, magna Latini sermonis peritia, cui de re tota libenter et facile concedam, si suas leges non dicam omnes, non plurimas, non aliquas, sed principem illam et ceterarum caput de verbo *Amo* adversus irruentem undique inimicorum impetum defendat. Quid enim primum decernis, Alvaro, de verbo *Amo*? Num esse activum et ex activis familiam ducere existimas? At Ausonius ad neutra reiecit: ut *apud Deum fieri amat*. Quid tum? Num esse prioris ordinis nec alium casum postulare nisi quartum contendis? At est qui posterioris existimet eique genitivum apponat: *Nolo Thaidem amare tanti*. Quid postea? Malis utriusque ordinis sit? At Cicero ad quartum refert: *Si quidquam me amas*. Quid deinde? esse quoque quarti contendis? At idem in sextum conicit: *De raudusculo Numeriano multum te amo*.

Pro sancte Juppiter! Ejus rei artem effcimus et venditamus, cujus fun-

damenta tam facile corruunt. Novi equidem nonnullos ab ipsa florentis Romae aetate fuisse qui analogiam summa ope defenderent: sed, mea quidem sententia, nemo cum hac nostrorum grammaticorum turba est comparandus, quippe qui, omnia experiendi causa, non solum ab omnium rerum initio, verum etiam ex vetustissima Hebraeorum lingua Romanarum vocum causas, similitudinem, originem repetant. Nihil novi affero apud eos, quibus est aliquis cum Martinio, Becmanno Vossioque usus. Cum his autem? immo etiam cum viris superioris aetatis praestantissimis, qui illius saeculi more gravissimum certamen de voculae nescio cuius ortu atque origine instituerunt multaque ac reconditam eruditionem ex Hebraeis, Arabicis Graecisque codicibus ductam in nullius momenti rem contulerunt.

De pronominum causa, numero ac natura quam dubia, quam varia, quam sibi contraria Varro, Probus, Priscianus, Donatus Quintilianusque decernunt? Hi autem cum inter se casibus nomina ab officio indita esse consentiant, nonne Scaliger tamen negat? Valla Priscianum castigat quod «ficum» morbum quartae declinationis fecerit; in Vallam arma movet Petrus Ramus quod «ficum» fructum masculino genere extulerit. Scaligero «commune» genus pessime a Graecis ἐπίχρουνον, optime a Latinis «promiscuum» appellari videtur; Sanctius Latinos damnat, Graecos absolvit; impersonalia Alvarus censet: «decet, paenitet, pluit», ceteraque; nulla esse impersonalia, testatus Deos hominesque, Scioppius affirmat. Si quis verborum modos statuatur esse quattuor, ecce tibi qui quinque, qui sex, qui octo, qui multo plures inducit. Est qui gerundia ac supina probet, neque deest qui grammaticorum deliramenta dicat. Alii verbis in -or praeterita tribuunt, alii adimunt. Quibusdam verba neutra ac deponentia placent, quidam toto Latio exulare jubent. Denique in tot tantisque scriptoribus neminem unum invenias qui malit aliorum vestigiis insistere quam nova comminisci ceterosque omnes allatrare. Nolo vos, dilecti mihi auditores, per singulas partes ducere omnesque de orthographia, prosodia, etymologia, syntaxique controversias hoc loco explicare ne gravissimo officio, ne tempore, ne patientia vestra abuti videar. Vos oro atque obsecro ut, quae quidam suorum libellorum initio diu praefari solent, legatis, ubi ceteris qui ante se de re grammatica scripserunt diem dicunt, mendosas, nugaces, sordidas cloacinasque eorum lucubrations audacissime appellant, seque ex deorum immortalium sede atque domicilio quasi delapsos optima allaturos esse pollicentur. Cumque singuli et universi eadem recinant, quo miseri adulescentes se vertant? Num Varroni? At litterarum porcus a Palaeomone appellatur. Num Prisciano? At Graecum hominem Latinae linguae ficum fecisse Alvarus censet. Num Vallae? At ejus elegantias Ramiretius Pradensis inelegantes appellat. Num Donato; Probo, Servio, Charisioque? At hos omnes passim errare et monstra nuntiare Scioppius contendit. Num denique Scioppio ipsi? At miserabilis dicitur litterator ab Hornio, vir desultoriae levitatis a Labbec. Quae audientes indignamini; sed, mea quidem sententia, aut

artis vitio, aut quodam fato fieri solet ut nemo sua proferre possit quin aliena carpat transeatque modum.

Quam indecorae, quam pudendae, quam fere insanae contentiones illae Poggii cum Valla, Politiani cum Merula, Scaligeri cum Erasmo de rebus his minutissimis, quasi de aris et focus, fuerunt! Quam ridiculum illud certamen inter Franciscum Philelphum et Timotheum quondam Graecum de vi syllabae fuit: namque ii ea condicione in aciem de industria prodierunt ut victus barba multaretur! O magnas nugas magna cum temeritate expetitas! O miseris hominum mentes qui ab his tamquam ex dis de Latinae linguae ratione responsum petitis! Qui aestus, qui errores, quae tenebrae vobis erunt celeberrimas illas Minervae, Aristarchi, Mercurii, Thesaurique grammaticas perlegendibus, quibus ad criticam eruditionem multa quidem acute ac subtiliter disseruntur, tamen ad Latinae locutionis usum prorsus non conferunt. Latinus quidem sermo est quiddam illustre, ingenuum, perspicuum, quod nemo eorum umquam consecutus est; sed non intellego quomodo suis scriptis fidem addant, quibuscum, quae ipsi praecipiant, congruere non possunt. Nam, sicut Polyclitus, statuarum artifex totius Graeciae peritissimus, non prius celebrem recte fingendi fere legem edidit quam, statua in publico proposita ad imitandam, sua ipsius praecepta re confirmasset; ita vellem se grammatici mihi probarent. Quod si accideret, libens faterer latine loquendi rationem eorum praeceptis tamquam lege esse probandam. At vero, uti Carneades apud Ciceronem aiebat scriptorem dicendi artis disertum ne mediocriter quidem ullum fuisse; ita opinor grammaticum adhuc artem, quam traderet, latine loquendi ne mediocriter quidem ullum calluisse. Neque in animo mihi est uniuscujusque grammatici vitia persequi: satis erit Terentium Varronem, veterum, I. Scaligerum, recentiorum, facile principem, commemorare, quorum alter etsi deorum beneficio natus aetate Latinarum litterarum, quae aurea vulgo nuncupatur, tamen ita scripsit ut inter antiquissimos scriptores numerari videatur; alter Josepho filio omnium consensu primas tribuit: illum Josephum dico, cujus peregrinitates, barbarismos, soloecismos Scioppius suo libro, qui *De stilo historico* inscriptus est, complexus est memoriaeque prodidit.

Denique numerosa et apta verborum comprehensio, in qua Latini sermonis major laus inest quam in soloecismis vitandis, ut mea sententia tert, nulla arte definiri, nullis grammaticorum praeceptis concludi, nullis certis legibus obstringi potest. Illa enim in uniuscujusque solutae orationis studiosi auribus tota est, ad aurium quoque sensum est judicanda: quod olim cum latine audientibus tum loquentibus bene cessit; at vero nostra aetate nisi quis se totum antiquis scriptis dedat atque in illis legendis imitandisque noctes diesque versetur, nec quidquam mediocre latine conabitur, nec quidquam grave probe judicabit.

O te dementem, M. Tulli, qui cum Varronis libros grammaticos ad manum haberes, verborum Latinorum elegantiam ex perpetua Catonis, Plauti,

Terentiique lectione sumendam tibi existimabas. Te levem, Demosthenes, qui Thucydidis historias cum saepe et multum legisses, octies, uti Dionysius Helicarnassaeus testatur, ab eo descripsisti. Tantumne otii tibi a foro curiaque supererat, ut non te grammatico homini potius traderes, ex quo Atticam illam sermonis integritatem arriperes ociosus? Itane igitur, carissimi auditores? Dispeream, si quis ex illis, qui se Tullianos profitentur, unam orationem aut semel in omni vita a Tullio descripsit, aut octies lectitavit. Vel igitur Cicero, in quo puri Latini sermonis ratio inerat. Demosthenes, quem Graeci non multum intellegebant, vel nos in grammatico ludo, aliud agentes quam oporteat, frustra elaboramus. Aut Prisciani, Servii, Donatique valeant, aut eos eatenus consulamus ut ab aliquo Pomponio Marcello de soloecismo postulati respondere possimus. Ergo, ut disputandi finem faciam, adulescens mihi in disciplinam traditus norit linguam esse quandam, quae Latina dicatur, Italiae quasi parentem eique magna parte similem. Hujus sciat esse nomina, esse verba; vim innumerabilem nominum verborumque dispositam certis obstringi legibus, quae primum memoriae mandanda sint; deinde praecipua nomina ac verba grammaticorum praeceptis subjecta in mente penitus inhaereant penitusque perspiciantur; tum in prosodia aliquandiu versetur: nam ratio carminis componendi est certior magisque definita quam solutae orationis; denique, paucis cum ex enodatione nominum tum ex recte scribendi scientia delibatis, grammaticos longissime ableget; postremo hoc sibi persuasum sit non Latinum sermonem ex grammatica, sed grammaticam ex Latino sermone esse profectam. Res eo spectat ut ille adulescens Latinos scriptores legendi scribendique exercitatione numquam intermissa in sucum ac sanguinem suum convertat tamquam si aquas ex ipso fonte hauriat, uti inter me ipsum et illos qui subtilius inquirunt Romam in celeberrimo hominum litteratissimorum concursu ex omni Italia, a. d. XI kal. Majas, a. MDCCCXLII. die Urbis natali, de Latina lingua perdiscenda convenit. Quod mihi facile concedetis, si memineritis non modo Ciceronem, Demosthenem Graecorum eloquentissimum imitando expressisse, verum etiam ipsum Demosthenem, Thucydidem rerum Graecarum gravissimum scriptorem, uti supra memoravimus, octies perlegisse octiesque sua manu exscripsisse.

Denique, vos, suavissimi adulescentes, quibus in Italia natis atque altis illud quoque accedit quod nobilissima ejusdem parte et ad animi cultum opportunissima erudimini atque instituimini, in litterarum studiis ita pergite ut majorum vestrorum gloriam retineatis. In vos oculos conjecerunt, vos hortantur atque rogant parentes pro familiae honestate, cives pro rei publicae gloria, magistri atque doctores pro scholae existimatione, sed in primis Summus litterarum artiumque apud Italos Curator pro *Capitolini certaminis* dignitate et decore sustinendo.

PAULINUS MENNA

DE ROMAE ATQUE ATHENARUM INSIGNIBUS REBUS

PURPUREOS SPARGAM FLORES

(Verg. Aen. 6, 884)

Opusculum in *Certamine Capitolino V*, Romae mense
aprili anno MCMLIV habito, publica laude ornatum

Ubi primum Romam veni, Vergilii versus, «caput orbis» magnificentes,
recordatus sum hos:

... haec tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi.¹

Qua in urbe vivida flamma quaedam semper arsit quae, ut Hugo Ojetti ait, omnes Romanos illuminavit, et eos qui, regno aut republica aut imperio stante vixere, et eos postea, qui secuti sunt usque ad nos, hujus aetatis homines.

Quae gloria omnibus temporibus permansit humilibusque aucta est Romae originibus, cum Urbs in «Foro Boario» nata sit, quod Christiani, semper coluere, tamquam si modesti praeseptis adorantes essent pastores.

Si autem Romanorum Imperii nulla exstant vestigia, Imperii illius, cui antiquae aetate fuerunt fines «solis ortus et occasus», ut ait Polybius,² neque per Mare Nostrum jam navigamus, illa Urbs tamen, quae armis opibusque totius orbis caput fuit, toto orbe semper liberalibus artibus dominatur.

Sancti Petri Basilicam in primis visitavi, omnium Aedium Sacrarum maximam, ante quam mirabilis Porticus in orbem acta patet, quae non sine causa dicta est «columnarum silva», cum ex ducentis octoginta quattuor constet columnis.

In Basilicam vero ingredienti celebre Michelangeli opus, «Pietas» oculis objectum est, ubi Dei Matrem dolentem Christumque in gremio tenentem admirari potui, una cum omnibus maximi pretii rebus, quae ante Sacram Aedem visitantes panduntur; sed magnificentum Bernini opus, quod pro Ara

1. VERG. *Egl.*, 1, 25.

2. POLYP. 269: ἡ Ῥωμαίων πόλις... ἀνατολὰς καὶ ἑσπείρας ὁρούς ποιησαμένη τῆς δυναστείας.

Maxima stat, accurate spectandi non data mihi est facultas, utpote qui illinc jussus sim statim abire... Homo quidam enim, fune vinctus, ex alto pendeat ac negabat inde se unquam discessurum esse, addebatque per minas in Basilicae marmoreum pavementum se conjecturum, nisi quid pecuniae Romanus Pontifex sibi donasset; qui, qua semper fuit animi benignitate, illum servavit insanum!

E summa Sacra Aede autem, unde conspicitur tota Roma, quattuor Basilicas vidi, inter quas Sancti Pauli pulcherrimam, ac Vaticanos Hortos, variis floribus ornatos, quorum aliquot ita dispositi erant ut «Petri claves» efficerent; Janiculum, denique, conspexi aliosque colles.

Ad quattuor Evangelistas quoque appropinquavi, qui in summa Basilicae fronte sunt, atque obstipui quantus unusquisque eorum esset considerans, et quomodo in Sacrae Aedis margine starent, cum ad lapsum faciles mihi viderentur.

Cum a tanta altitudine descendissem et in Sancti Damasi Aulam pervenissem, prospera fortuna usus sum, quod ipsum Romanum Pontificem extra exspectationem vidi, pueris, qui eum comitabantur, adridentem, quo spectaculo commotus sum vehementissime.

«Vivat Pius XII!», magna voce clamabant pueri;

«Vivat!», egomet conclamavi.

Plurima signa autem et simulacra statuasque in Museo Vaticano sum admiratus, inter quae Meleagri imaginem sculptam, Aetolorum fortissimi viri qui, quamvis aprum agros infestantem trucidavisset, immature, matre exsecrante, est mortuus «pulchram linquens juventam». ¹

Lacoontis simulacrum vidi et «immensis orbibus angues» et «parva duorum corpora natorum», ut Vergilius ait, ² et Nilum una cum sedecim pupis, multaque mirifice perfecta.

In Pinacotheca, vero, diu sum moratus, cum Clementis IX imaginem pictam, a Carolo Maratti coloribus magnifice expressam, admirarer, et amphoram quandam, ubi Ajax et Ulixes, alea ludentes, erant picti; qui utinam in vita alea semper lusissent!

In Pinacothecae parte quadam, deinde, tabulam contemplatus sum, in qua erat picta Danae, a patre Acrisio in arca cum filio inclusa et in mare, ut moreretur, conjecta, cum Jovis flagravisset amore. Quae parvum Perseum alloqui videbatur Simonidis versibus:

«precor, dormi, puer, et dormiat mare,
dormiat immensum malum!» ³

1. BACCHYL. Ep., 154: ἀγλαὴν ἤβαν προλείπουν.

2. VERG. Aen., 2, 204 et 213.

3. SIMON. Frag., 3: κέλομαι, δ' εὔδε βρέφος, εὔδέτω δὲ πόντος,
εὔδέτω δ' ἄμετρον καχὸν...

Atque oris habitum, lacrimis perfusum, tanta cum veritate ostendebat, ut vivam eam diceres.

Tot magnificas tabulas pictas admirantem magna me cepit, non sine aliquo pudore, hilaritas, cum meminissem pingendo operam me quoque, puerum, dedisse et in Sacra Turri quadam coloribus reddenda, duas, non unam, apposuisse umbras, a sinistra parte alteram, alteram a dextera! Atqui hoc fieri non potest, cum unus sit terram collustrans sol, non duo!

Sed, quamvis pingendi artis sim imperitus, ad me consolandum tamen adfirmare non dubito eo amentiae nondum me pervenisse, quo pictores hujus aetatis nonnulli qui, in muliebri vultu, exempli causa, effingendo, duo ova pro oculis ponant, pro crinibus aliquot asparagos, pro ore, denique, Achillis scutum! «Spectatum admissi, risum teneatis, amici?».¹

Quam multa Romanis Pontificibus donata in Museo Vaticano inveniuntur! Quot aurea et argentea vasa, saphiris ornata et smaragdis! Id vidi, quod Pio X donatum est, Christum ex auro cruci gemmis distinctae affixum, et quod Patavini Romano Pontifici, cujus nomen memoria mihi excessit, muneri miserunt, parvam S. Antonii ex argento Basilicam.

Quid multa? Omnia in Museo Vaticano admiratione sunt digna, nec quisquam est, quamvis fingendi et pingendi artis rudis, quem magnifica atque splendida illa non moveant, et raro id evenit, quod de homine quodam Museum visitante proditum est. Qui, cum in locum, cujus parietes multis tabulis pictis ornati essent, intrasset ibique in scamno ante picturas stante consedisset, paulo post stertere coepit. Non brevi interjecto tempore, Musei e custodibus unus, eum ut egrederetur invitavit, cum jam advesperasceret.

Tum ille, somno excussus: «Omnia, quae vidi —inquit— pulcherrima!».

Cui custos: «Sine ullo dubio, sed rectius dices, si affirmaveris: «omnia, quae in somnis vidi, pulcherrima!».

Etiam in Cryptas descendi, in quibus mortuos suos primi Christiani sepeliebant. Nunquam putaram sub Urbe urbem alteram se occultare, atque obstipui, cum multa milia passuum in longitudinem Cryptas patere cognovissem! Quibus obscuris locis solum aliquamdiu sum moratus, praesertim cum filia mea, quae Urbem eo tempore mecum petivit, tenebris turbata, se Romam venisse negaret ad mortuos quamvis Martyres visitandos, ac diceret multa alia spectacula, eademque splendida, ibi esse sub luce solis admiranda!

Maximus Urbis Coemeterium quoque visitavi, quod Veranum appellatur, et mihi inter tot sepulcra ac monumenta transeunti, Vergilii versus in mentem venerunt hi: «Matres atque viri defunctaque corpora vita
magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae».²

1. HOR. *Ars poetica*, 5

2. VERG. *Aen.*, 6, 306.

Quam multi, sub umbra cupressorum jacentes, maestitia nos afficiunt moventque animum!

Hoc, tamen, eo funebri loco ad misericordiam fletumque vehementius me deduxit, quod matrem quamdam filium, immature sibi raptum, alloquentem audivi: «Adsum, fili mi, adsum! Nova crepundia ad te hodie attuli, atque alia afferam cras». Quae cum diceret, ad filii tumulum nonnulla admovebat oblectamenta, quibus valde laetantur gaudentque pueri. Celerrime inde discessi, utpote cum miserabilius illud spectaculum esset, quam quod ferri posset.

Quantum veri in Zacynthii poëtae versibus inest his:

Caelestis hic mutuus est amor
caelestis in hominibus virtus,
qua cum mortuo vivimus amato
mortuusque nobiscum¹

Mater enim, de qua supra diximus, mente non alienata, ut primum putavi, sed animi sui compos, in Romano coemeterio apud unicum sibi ereptum filium degebat vitam sermonemque humanitate plenum cum eo a mane serebat usque ad vesperum ejusque imaginì, quae in tumulo erat superposita, oscula dabat super oscula!

Quid de Romanis fontibus dicam, quos musicis notis immortales Respighi ille reddidit, artis musicae peritus? Quid de murmurantibus «Fontis Trevi» aquis, in quas qui unum vel plures jecerit nummos, eum Romam dicunt esse rediturum?

Abhinc non paucos annos ego quoque in magnificentum fontem unum nummum jeci, quo ex tempore non semel, sed pluries in Urbem redii.

Fuit tamen illud tempus et ingens juventutis gaudium, fuit illud tempus, quo ego et amici quidam, Romae studiorum causa commorantes, omnia experiebamur et quamvis sustinebamus operam ad aliquot nummos lucrandos, qui parvam pecuniam, singulis mensibus a parentibus nostris missam, peropportune augebant; haec pecunia enim inter Kalendas ejusdem mensis Idusque dissipata jam erat.

Quo tempore multos habebamus «...nigros angusta fronte capillos»,² sed paucos nummos, omnia tentanda erant, ut Romanis viis iremus non «deficiente crumena»,³ atque in voluptates magis quam in studia nos abderemus. O inconsideratam, sed pulchram beatamque juventutem!

1. *Fosc. Sepulcra*, 29, seqq: Celeste è questa corrispondenza d'amorosi sensi, celeste dote è negli umani; e spesso per lei si vive con l'amico estinto e l'estinto con noi. . . .

2. Hor. *Ep.*, 1, 7, 26.

3. Hor. *Ep.*, 1, 4, 11.

Gravitate plenae Amphitheatri Flavii sunt reliquiae, sed id testantur, antiquos Romanos, moribus in pejus mutatis, Epicuri praeceptis obtemperantes, cruentis spectaculis delectatos esse potissimum et frumentarias largitiones cupivisse semper: «panem et circenses!». Ludi gladiatores tum edebantur, qui multo sanguine saepe steterunt; «Ave, Caesar, morituri te salutant», exclamabant qui, Imperatori salutationem dantes, ad certamen descendebant atque moriebantur, si paucos excipias, quibus a spectantibus parcebatur.

Quid dicam autem de plurimis Christianis ad bestias damnatis, qui a leonibus dilaniati, magno gaudio popellum afficiebant tunicatum? Imperatoribus, tamen, qui tantis sceleribus indulserunt, boni imperatores successere, ejusmodi ludos fieri vetuerunt, inter quos Trajanus optimus.

Romam admiratus, etiam Athenas cum amicis quibusdam eo tempore me contuli, quo parva pecunia hoc iter fieri poterat. Genua profecti et Capreis, in pulchra insula, aliquamdiu morati, Siculo freto in Mare Ionium pervenimus, Graeciam petentes. Sequebantur navem, ut solent delphini qui, quotiescumque aliquid edendum eis conjeceramus, ex undis prosiliebant, in quas, cibo arrepto, insiliebant rursus.

Athenas, denique, pervenimus et a navi egressi sumus, tantas urbis videndae cupidi, quae antiquis temporibus non solum «agresti Latio artes intulit», sed etiam multis aliis gentibus.

Abhinc aliquot saecula, enim, multi pingendi et effingendi artifices hac in urbe florere, et poëtae et philosophi atque oratores rerumque gestarum scriptores. Athenis vitam egerunt maximi viri et mulieres, ut Pericles ejusque amica Aspasia, omnium Graecarum nobilissima; hic suas orationes Demosthenes composuit, oratorum princeps ac «paene lex orandi», ut ait Quintilianus; tanta vis enim in eo est ut nec quod desit nec quod redundet invenias. Athenis Plato, philosophorum praecipuus, «eloquendi facultate divina quadam et homerica» sublimes dialagos scripsit, et splendidas tragoedias fecit Sophocles, inter quas pulcherrima est quae «Antigona» inscribitur, ubi mirabiles versus canit chorus hos: «Amor, invicte pugnam
Amor, qui in bona irruis,
qui suavibus in genis
virginis moraris...
Ille furit, quem tu tenes.»¹

1. SOPH. «Antigona», 781, seqq.:

Ἔρως, ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις.
ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
νεάνιδος ἐννυχεύεις...
ὃ δ' ἔχων μέμηγε.

Quos versus qui scripsit maxima laude est dignus non solum apud antiquos Graecos, sed etiam apud omnes cujusvis aetatis homines.

In summa urbis arce Parthenonis reliquias sum admiratus, quas magno amore prosequuntur hujus aetatis Graeci. Tanti templi columnae, quae supersunt, augusta cum gravitate ad caelum sese attollunt, ita ut, quamvis fractae, admirantium tangant animos, neque quicquam pulchritudinis tam splendido demant operi, quod «lapideus cantus» videtur.

Etiam Odeion, deinde, contemplatus sum, ubi musica certamina proponebantur, et pulchrum Theseion, vel Thesei templum, quadraginta et duabus praeditum columnis, et Erechteum, in quo sex marmoreas puellas admirari potes, quae «Canephoroe» vocantur.

Athenis vidi etiam multa, quae custodiuntur in Museo apud Parthenonem et quae antiquam gloriam Graecorum testantur. Si, enim, Phidiae, Polycteti, Mironis multorumque aliorum opera «annorum series et fuga temporum»¹ diruere potuerunt, supersunt tamen reliquiae, quibus intellegi potest quantum artifices illi valuerint et quomodo marmor animaverint

«Gloria est Lysippo animosa effingere signa».²

Procul ex undis, sicut e spumis maris Aphrodite, meis oculis sese obtulit Salamis atque illud tempus in mentem mihi reduxit, quo balbutiens puer, qui parum studuissem, historiae Magistro interroganti singultim respondebam apud Salamina Xerxem, insanum regem, quod multa egisset stulta atque jussisset flagellis Hellespontum verberari, a Themistocle fugatum esse...

Me adolescentulum, deinde, litterarum Graecarum Magistro dicentem vidi «in eadem insula Euripidem, tragicum poëtam, esse natum», mihi meisque condiscipulis tum invisum, cum suae fabulae, quae «Alcestis» inscribitur, plus quam mille Graecos versus ut perlegeremus nos coëgisset.

Athenis munusculum, quod filiae meae donarem, duas parvas statuas emi, «perfidum Paridem Helenamque infidam».

Quibus magno cum gaudio acceptis, exclamavit nata: «Pulchri, pater, Graeci juvenes sunt pulchraeque puellae». Et statuas est amplexa, tantam pulchritudinem ignorans multis funeribus Dardanae genti stetisse.

Quibus rebus de Athenis breviter dictis, ad Urbem redeo, haec asseverans: Si magnificae Lutetia Parisiorum et Londinium sunt, quarum urbium alteram Sequana, Tamesis alteram dividit, magnificentissima est ROMA, quam flavus secutur Tiberis, ex qua omnibus Christianis Romanus Pontifex tribus tantum verbis benedicit: Urbi et Orbi, et in qua, denique, suam quisque lapis habet historiam.

CASPAR ADRAGNA

1. HOR. *Carm.*, 3, 30.

2. PROP. *El.*, 12.

NOVA ET VETERA


CASTELLUM

1. Primum habitare consuerunt homines in specubus vel tabernaculis frondeis; tum et construi coepta sunt tuguria caespitis, casae arundineae, mapalia straminea, ategiae et gurgustia craticia luto circumlita. Etiam nunc in vocabulorum Latinorum thesauro exstat vox illa «culmen», a culmo derivata, quae generatim pro domorum tecto sumitur. Ac denique fabri domos aedificare coeperunt ad quamdam stabilitatem: nempe ad necessitatem, utilitatem, magnificentiam, decorem. Ex quo sunt in dies pictura et fabrica in aedibus exstruendis maxime progressae.

Aliae vero mansiones publicae, aliae privatae sunt; in illis moenia, turres, propugnacula, portae, templa, fora, porticus, balnea, theatra, triclinia, carcer, aerarium, armamentarium, xysti, ambulationes; in hisce atria, exedrae, oeci, pinacothecae, cubicula, inter alia id genus habitacula, recenseri possunt. Aedificationes autem rusticae sunt cortes, stabula, torcularia, granaria, horrea, faenilia, apothecae.

In his autem construendis sedulam operam navant lignarii, materiarii, structores parietarii, lapidarii, latomi, laterarii, caementarii atque in primis architectus. Qui, gnarus architectonices, nec imperitus diagraphices seu delineationis, director est aedificii curatorque maximorum operum, ac scite structionem et substructionem, juxta vero exemplar in mente conceptum, quasi manu ducit. Quandoquidem et sculptor e cera fingit prototypum: et plastes e creta proplasma; et pictor graphidem format.

Rem vero totam architectonicam seu aedificatoriam distribuere in has partes solent artifices: regionem, areae partitionem, parietes, tectum atque apertiones, quibus cum rebus tum hominibus initium exitusque commodantur. Ex plurimis autem belli domique aedificiorum rationibus aliam in proposita pictura vel tabula picta cernere potes: est, quod ipse vides, castellum. Cujus modi partes magis notae sequenti vocabulario consignantur:



- | | | | |
|----|--|----|---|
| 1 | <i>Almenas, pinnae, minae, arum</i> | 11 | <i>Garita, specula</i> |
| 2 | <i>Rastrillo, cataracta, ericius</i> | 12 | <i>Canecillos, mutulus, tignum</i> |
| 3 | <i>Tronera, fenestella</i> | 13 | <i>Saetera, sagittaria [fenestella]</i> |
| 4 | <i>Atalaya, specula, turris</i> | 14 | <i>Puente levadizo, pons versatilis</i> |
| 5 | <i>Torre del homenaje, turris fidelitatis</i> | 15 | <i>Palenque, vallum, saeptum</i> |
| 6 | <i>Gablete, fastigium</i> | 16 | <i>Estribo, sustentaculum</i> |
| 7 | <i>Torres flanqueantes, turres expugnatoriae</i> | 17 | <i>Empalizada, saeptum</i> |
| 8 | <i>Torre albarrana, propugnaculum</i> | 18 | <i>Puente levadizo, pons versatilis</i> |
| 9 | <i>Lienzo, murus [inter turres]</i> | 19 | <i>Barbacana, saeptum lapideum</i> |
| 10 | <i>Poterna, postica</i> | 20 | <i>Foso, fossa</i> |

2. Est vero castellum tanquam insulam exstruens arx, loco plerumque eminentiore, ad populorum confiniumve defensionem: vel simpliciter ad domini seu castellani, qui eandem habitabat, commorationem. Horum castellorum origo retro fluere, juxta multorum sapientium sententiam, vel ad ipsa historiae prima tempora videtur. Consentaneum enim gentes, quae incohererent regiones expugnatas, terrae fortia ad stabiliendum in incolas imperium defensionemque in subitis bellis suorum praediorum et bonorum, occupasse.

Itaque in his castellis, quae, ut commodius tutelae inservirent, locis eminentioribus constituebantur, dominatores non solum duces et optimates praecipuos, sed etiam deorum imagines et rerum sacrarum copiam in populi aestimatione coacervabant. Ex quo erant et aliquando loci cultui sacrati. Opera autem auxilioque castellorum exurgere coeperunt quidam tanquam nuclei populorum, qui temporum quidem lapsu oppida devenerunt. Ita, exempli gratia, evenit in regione mediterranea, aetate antiqua, cum arcibus vel castellis Tiryntis, Athenarum, Thebarum, Corinthi in Graecia; Tusculi, Praenestis, Faesularum in Italia; Trojae, Nicomediae, Cyzici in Asia Minore; Tarraconis in Catalaunia. Hinc plurima populorum nomina, in linguis Roma-

nicis, composita sunt ex hac voce «castellum». Nostra in Hispania insigne est Castellae regnum: quasi diceret terram castellis refertam et locupletem.

Jam vero castellorum muri, ut plurimum perquam fastigati atque abrupti; ejus modi enim vallis aptissima ut iis qui arcem defendebant quam plurimas utilitates commodaque adversus expugnatores praeberet. Ac super muros hinc inde turres aptabantur cum minis, ex quibus facile poterant hostem, si quando murorum attigisset altitudinem, exturbare. Age nunc; mecum recale interim praecipuam de re militari, quae praesertim in castellis colebatur, nomenclaturam:

<i>Abanderado</i> , signifer, vexillarius	<i>Ejército (de mar)</i> , exercitus navalis
<i>Adarga</i> , caetra, parma	• <i>(de tierra)</i> , exercitus terrestris
<i>Alcázar</i> , arx, cis	<i>Escuadrón</i> , turma, manus
<i>Alférez</i> , draconarius	<i>Escudo</i> , clipeus, scutum
<i>Apuntar</i> , collineare	<i>Espada</i> , gladius
<i>Arma</i> , arma, orum, ferrum	<i>Espta</i> , speculator
<i>Armada</i> , classis, is	<i>Explosión</i> , eruptio
<i>Artillería</i> , tormentaria, orum	<i>Fortificación</i> , munitio, onis
<i>Artillero</i> , tormentarius	<i>Fusil</i> , sclopetum
<i>Atacar</i> , aggredi, in aliquem invehi	<i>General de división</i> , praefectus legionis
<i>Bagaje</i> , impedimenta, orum	<i>Generalísimo</i> , imperator, militiae magister
<i>Bala</i> , glans, dis	<i>Hacha</i> , securis, is
<i>Bandera</i> , signum, vexillum	<i>Infante</i> , pedes, itis
<i>Batallón</i> , cohors, tis	<i>Jinete</i> , eques, itis
<i>Bayoneta</i> , cuspis, idis	<i>Mina</i> , cuniculus
<i>Bomba</i> , pyrobolus, i	<i>Moharra</i> , cuspis, idis
<i>Brigadier</i> , optio equestris	<i>Montante</i> , romphaea
<i>Caballería</i> , equitatus, us, copiae equestres	<i>Obús</i> , pyrobolum, i
<i>Camarada</i> , commilito, onis	<i>Parapeto</i> , agger, eris
<i>Cañón</i> , tormentum	<i>Pica</i> , lancea
<i>Capitán</i> , centurio, onis	<i>Pólvora</i> , pulvis [pyrius]
<i>Centinela</i> , excubitor	<i>Proyectil</i> , missile, is
<i>Ciudadela</i> , acropolis, is	<i>Revólver</i> , manuballistula
<i>Comandante</i> , praepositus, praefectus militum	<i>Sable</i> , acinaces, machaera
<i>Compañía</i> , centuria	<i>Sargento</i> , optio pedestris
<i>Convoy</i> , commeatus, us	<i>Soldado raso</i> , miles gregarius
<i>Coronel</i> , chiliarchus, i	• <i>de guarnición</i> , miles castellanus
<i>Cuerpo de guardia</i> , excubitorium	<i>Treguas</i> , induciae, arum
<i>Daga</i> , sica	<i>Trinchera</i> , fossa
<i>Defenderse</i> , defendere se, repugnare	<i>Vanguardia</i> , velites, um, prima acies
<i>División</i> , legio, onis	<i>Vigía</i> , excubitor
<i>Ejército</i> , exercitus, us	<i>Vivandero</i> , lixa, ae
• <i>(en batalla)</i> , acies, ei	<i>Voluntario</i> , volo, onis
• <i>(en marcha)</i> , agmen, inis	

3. Nunc vero antiqui Romani ad suorum finium securitatem stationes militares constituerunt, quae quidem rationem castrorum permanentium pro- priam prae se ferebant. Cum autem cursu temporum jam non possent tot

copiarum habere, quae eas custodirent, quod plures in dies milites necessarii essent ad perennes barbarorum incursus debellandos: excubiae stationum harum sese paraverunt ad sustinendum per longum temporis spatium. Ex quo opus tandem fuit sufficere munitionum robur in locum inopiae militaris; tuncque coepta sunt exstrui castella permanenti modo destinata ad defensionem castrorum. Quae dispositio, procul dubio, exemplo fuit ad exstruenda castella illa aetatis mediae.

Ad nos tamen nulla pervenit integra earum arcium, destructae veri simili modo ex diutinis barbarorum in Romanos incursibus. Sed ex ruderibus ac parietinis aliquibus locis repertis conjectura, quaenam earum esset structura, facile consequitur. Tempus vero aureum castellorum fuit aetas media; atque tempus illud potissimum, quod ad imperium «feudalismi» —qui vulgo dicitur— pertinet, quo quidem cum principes tum reges tanquam rivales erant in exstruendis roborandisque suorum finium vel possessionum castellis. Itaque castella exstructa fere innumera. Juxta historicos, una in terra Galliae, saeculo XIV, circiter 40.000 castella exstabant.

At vero, post inventionem armorum pulvere actorum, castella fere omnino vim defensionis, atque ideo aestimationis, amiserunt; ex quo —lacrimae rerum— in minus pedetentim venere. Hodie non sunt, nisi memoriae quaedam aetatis antiquae: reliquiae temporum. Sed haec hactenus. Finem huic rei brevi phraseologia de re militari impono:

Exercitum conficere, <i>poner en pie de guerra</i>	Dimittere exercitum, <i>licenciar el ejército</i>
Aetas militaris, <i>edad para el servicio militar</i>	Milites levis armaturae, <i>infanteria ligera</i>
Milites conscribere, <i>levar tropas</i>	Magnae copiae, <i>una gran cantidad de tropas</i>
Nomen profiteri, <i>alistarse</i>	Exiguae copiae, <i>tropas poco numerosas</i>
Ad nomen non respondere, <i>ser desertor</i>	Vetus, veteranus miles, <i>soldado veterano</i>
Militiam detrectare, <i>tratar de esquivar el servicio</i>	Exercitatus in armis, <i>aguerrido</i>
Excusare morbum, <i>alegar enfermedad</i>	Milites tumultuarii, <i>soldados forzados</i>
Equo, pedibus merere, <i>servir en la caballería, en la infantería</i>	Stipendium dare, <i>pagar el sueldo al soldado</i>
Sacramentum dicere, <i>prestar juramento</i>	Stipendia facere, <i>estar de servicio</i>
Milites sacramento rogare, <i>exigir a los soldados la jura de la bandera</i>	Emeritis stipendiis, <i>acabado el servicio militar</i>
Evocati, voluntarii, <i>voluntarios</i>	Militia perfunctum esse, <i>estar libre del servicio militar</i>
Omnes ad arma convocare, <i>llamar a todos a las armas</i>	Exercitus conducticius, <i>tropas mercenarias</i>
Efficere duas legiones, <i>formar dos legiones</i>	Rem frumentariam comparare, <i>atender a las provisiones</i>
Complere legiones, <i>completar las legiones</i>	Intercludere commeatum, <i>interceptar un convoy</i>
Supplementum cogere, <i>llamar la reserva</i>	Prohibere hostes commeatu, <i>copar los víveres al enemigo</i>
Contrahere copias, <i>concentrar las tropas</i>	Praeficere aliquem exercitui, <i>poner a uno al frente de las tropas</i>
Parare exercitum, copias, <i>equipar un ejército, las tropas</i>	Praeficere aliquem bello gerendo, <i>encargar a uno la dirección de la guerra</i>
Recognoscere exercitum, <i>pasar revista</i>	

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CURSUS GYMNASTICUS

DIFFUGERE NIVES, JAM REDEUNT GRAMINA CAMPIS

(Hor. Carm., 4, 7)

*Han huido las nieves, ya tiene yerba el campo
y el árbol nueva cabellera;
se remoja la tierra, las aguas decrecidas
por sus riberas mansas corren.*

*Suelto el manto, una Gracia junto con sus hermanas
y Ninfas guía audaz la danza;
no sueñes nada eterno, nos amonesta el año
y hora que roba el almo día.*

*Templa fríos el céfiro, le pisa a Primavera
el pie el Estío que perece,
así Otoño pomífero sus frutos vertió y luego
invade todo inerte bruma.*

*Rauda la luna enmienda los trastornos celestes:
nosotros luego que caemos
donde el piadoso Eneas y el rico Tulo y Anco,
no somos más que polvo y sombra.*

*¿Quién sabe si los dioses juntarán a la suma
de hoy el día de mañana?
Todo lo que a tus gustos dieres, las manos ávidas
ha de burlar de tu heredero.*

*Una vez que sucumbas y sobre ti el juez Minos
falle sentencia inapelable,
ni linaje, Torcuato, ni piedad, ni elocuencia
te volverán a nueva vida,
ya que ni al casto Hipólito consigue librar Diana
de las tinieblas infernales,
ni aun a su idolatrado Piritoo Teseo
logra quebrarle las cadenas.*

M. M.

Carminis argumentum et indoles

Nives jam diu sunt liquefactae, arbores et campi virescunt. Ver ubique viget (v. 1-6); ipsius tamen naturae vices nos monent ne quid aeternum speremus (v. 7-8), nam hiemi ver, veri aestas ceteraque anni tempora et moriendo et resurgendo alia aliis succedunt (v. 9-13). Contra homines, ubi e vita decesserunt, in aeternum —pulvis et umbra— evanescent (v. 14-16). Quisnam hunc hodiernum crastinum insecuturum scit diem? Ne ullus quidem hominum; ergo quae tanto studio comparavimus, ne omnia integra heredi relinquamus (v. 17-20). Cum semel in umbras imas deciderimus, nihil ad lucem nos restituet (v. 21-24), nam neque Diana e tenebris Hippolytum neque Theseus Pirithoum e vinculis eruere umquam poterit (v. 25-28).

Carmen, cui animum viresque intendimus, jam aetate provecta ab Horatio exaratum procul dubio putamus, quamquam patet in multis cum carmine quarto libri primi congruere. Sed toto caelo inter se differunt. Nunc enim poëta maestissime lyram percutit mortali conditione vitae oppressus. Sentienti et cogitandi ratio, quam nunc Horatius ostendit, quadam animi patientia et stupore est imbuta ob inanitatem vitae et crastini temporis incertum. Quae inanitas et incertum in illud «*carpe diem*» vatem alias rapiebat; nunc vero ad fruendam vitam cohortatio, quae hujus modi poëmatis numquam deest, hic tantum timide et raptim in medio carmine caput quasi extollit; immo fere omnino abesse videtur mens et consilium genio indulgendi. Taedio rerum animus vatis excruciat qui inanis vitae mortisque hominum spectaculum quadam funerea delectatione contemplatur. Quam ob rem in praesentia dicendi genus est ut hominis fastidiosi et pertaesi quem jucundae mollesque imagines non morantur. In carmine IV libri I poëta exsultans ver excipiebat, quamquam eum non fugiebat pallidam mortem humana tecta pulsantem ocus jam jam appropinquare. Illa gracilis dicendi venustas in moderationem, minime autem artis expertem, mutatur. Haec veris descriptio sobria exstat et versus qui insequuntur quique praecipua pars sunt carminis et poëtici numinis pleni, perelleganti simplicitate ac nuditate nitent.

V. 1-8. IMMORTALIA NE SPERES!

Ver appetit et ipsius anni tempora monent ne quid in rebus perpetuum et immortale speremus. Qui sensus et cogitatio, quae animum poëtae ad deterrima sese nunc convertentis excruciat, mitescit aliquantulum jucunda veris descriptione in qua Horatius speciem et adumbrationem rerum naturae et mythologiae sub oculis proponit, nempe: nives liquefactas, prata virentia, arbores denuo comis ornatas, flumina decrescentia, Gratias demum cum Nymphis choros ducentes.

Si haec omnia mutantur —ut cogitat maerens poëta— cur in naturae rebus quidquam aeternum atque perpetuum sperandum?

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
 arboribusque comae;
 mutat terra vices et descrecentia ripas
 flumina praetereunt;
 Gratias cum Nymphis geminisque sororibus audet
 ducere nuda choros:
 immortalia ne speres, monet annus et alnum
 quae rapit hora diem.

Diffugere: perf. logicum: tamquam si poeta, postquam diu nivem super agros diffusam vidit subito animadverteret ex oculis eam evanuisse et humum vestiri viridi gramine viridibusque comis arbores adhuc aridas et exiles. — **comae:** cfr. quoque 1, 21, 5 «nemorum coma» et 4, 3, 11 «spissae nemorum comae»; vividior est metaphora. — **mutat terra vices:** «se transforma de nuevo, muda de aspecto, de apariencia»; mutare vices proprie dicitur de excubitoribus quorum alii in stationem aliorum horis statutis succedunt; vide quamplurima apud Horatium sermonis quoque militaris exempla (*Carm.* 1, 1, 2; 3, 1⁷ et 31; 2, 17, 10). Haec propositio superioris distichon breviter complectitur viamque parat ut ex agris oculos ad flumina convertamus. Cfr. 4, 12, 3 «nec fluvii strepunt / hiberna nive turgidi». — **praetereunt:** ad solitas ripas descendunt. — **Gratia:** Aglaia, ut plurimi commentatores volunt, prima e tribus Gratiis. Ad singulare «Gratia» quod spectat, cfr. 3, 19, 16 «Gratia / nudis juncta sororibus»; Gratia cum sororibus idem est atque tres Gratiae sorores. Aglaia, Euphrosyne, Thalia Gratiae appellabantur. — **cum Nymphis geminisque sororibus:** et Gratiae et Nymphae, signum et index vitae in natura, e latebris ubi latentes hiemarunt, egrediuntur, ut sub verno tempore aëris et caeli serenitate perfruantur. Hoc unum tantum descriptionis elementum vita animantium pollet, nam superiora vita carentia exstant, ut campi, arbores, flumina. In carmine IV libri I nautam, gregem, aratorem, Venerem cum Gratiis et Nymphis, Vulcanum cum Cyclopiis videmus; in XII libri IV apparet nauta («impellunt animae linthea Thraciae»), hirundo («nidum ponit... infelix avis») pastor («pinguium custodes ovium»). Hic vero homo omnino desideratur, commentum tantum mythologicum vitam motumque contemplationi naturae confert. Itaque huius modi descriptio exstat tenuis, levis, ab omni concretione materiae sejuncta. — **nuda:** epithetum non tantum ad Gratias vel Gratiam quae choros ducit sed etiam ad Nymphas spectat, quae soluta veste arti hellenicae repraesentare perplacebat. Ecce pulcherrimum et «plasticum» elementum: nunc praesertim cum Zephyris frigora mitigantur, Gratiae cum Nymphis sub verno sole fulgidum quendam nitorem candentibus et marmoreis corporibus naturae apponunt. Horatius summum descriptionis culmen hac imagine statuaria attingit. — **immortalia ne speres monet annus:** ver splendido spectaculo vatem non pellit, sed frigido sapientique consilio Venusinus haec proferre videtur: Vernum tempus haud nimis mihi arridet cum non sit aeternum cumque probe sciam, Torquate, quid postea futurum sit. Si ita naturae res evolvuntur, quam potius «vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam» (*Carm.* 1, 4, 15). Quae saepissime olim arridebant poetae, nunc vero, fatali mutationi obnoxia, parum desiderabilia videntur. Quam procul in praesentia Horatius ab illo «carpe diem»...! — **et alnum... diem:** id est, qui vitam praebet, ab *alendo* (cfr. *Carm. Saec.* 9, «alme sol»); et optime de die dicitur, quoniam calore solis qui diei praest, omnia aluntur atque nutriuntur. — **quae rapit hora:** hora est tempus praesens quo fruuntur homines; quo tamen pacto hoc horae momentum ab hominibus carpi potest cum tamquam fur eis lucem diei sensim subripiat?



V. 9-16. PULVIS ET UMBRA SUMUS!

In natura damna cito sarciuntur, nam nihil in ea fixum atque perpetuum. Horatius ob oculos nostros inducit celeria anni tempora: ver ab aestate proteritur ut denuo post hiemem proximam revertat. Rapidae quoque lunae caelestia damna reparant. Res naturae immutabili necessitate evolvuntur atque mutantur. Absit ut de mortali hominum condicione id pariter asseramus, nam qui e vita semel excesserunt, numquam in lucem redeunt cum numquam vita morti quidem succedat.

Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit aestas
interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit et mox
bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
nos, ubi decidimus
quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
pulvis et umbra sumus.

Frigora: numero plurali, quia vel ad varia unius hiemis momenta vel ad proxime insequentes hiemes spectat. In v. 9-12 v. septimum («monet annus») explicant. — **Zephyris:** ablat. instrum. Zephyri sunt venti tepidi veris cuius nuntii et signa exstant Horatius alibi se ait Maecenam revisurum cum «Zephyris et hirundine prima» (Epist. 1, 7, 13). — **ver proterit aestas interitura:** id est, pede premit vel etiam fugat; nobis magis aridet bellica interpretatio quae aestatem praebet quasi victorem ver — hostem devictum et in acie dejectum — proterentem. Sed, pro dolor!, hic victor qui de vere triumphat ipse quoque fatali morti destinatur («aestas interitura»)! — **pomifer autumnus fruges effuderit:** pomifer, id est, frugibus oneratus, ut alibi «autumnusque gravis» (Serm. 2, 6, 19). Apud Horatium autumnus similis Coptiae apparet: «aurea fruges / Italiae pleno defundit Copta cornu» (Epist. 12, 12, 28; Carm. Saec. 60). — **et mox:** hoc monosyllabon in extremo hexametro impositum quaedam tristis ac dura fati admonitio videtur. — **bruma recurrit iners:** ecce autumnum insequitur hiems quae iners a poeta vocatur hoc sensu quod homines laborare non desinit, ut apud Vergilium «hiems ignava colono» (Georg. 1, 299). Terra hiemem subit tamquam somnum mortis similem, ubi et bruma et hibernis frigoribus omnia immota manent neque vitae motusve signa praebent. Quanta in describendo celeritas! Omnia verba vi «cinetica» pollent: celeres Zephyri, aestas ver proterens, autumnus cornu effundens fruges, bruma demum recurrens iners sed universam naturam invadens. — **damna... caelestia:** hac particula tamen Horatius solacium quoddam nobis inertis hiemis contemplatione afflictis praebet: omnia in natura pereunt, tamen omnia reficiuntur; damna caelestia seu damna quae caelum tempestatibus et mutationibus terris affert; quae damna reparantur et resarciuntur celeribus lunae vicissitudinibus. — **nos ubi decidimus:** En nobis sepulcrum! Nunc vates frui videtur quadam acri voluptate arrogantiam ac superbiam nostram proterendi! Nos quoque decidemus atque ut ver naturam sic vitam nos relinquemus, sed alio longe fato... ver in terras redibit... atqui nos contra... Metaphora a foliis et floribus vel a solis occasu desumpta. — **quo pius Aeneas, quo Tullus dives et Ancus:** nota elipsim verbi decidit. Ne clarissimi quidem homines mortem effugerunt, nam neque divitiae (.dives.) neque pietas (.pius.) eos fatali exitio quod omnes manet, liberavit. Pietas Aeneae omnibus cognita est.

Sed pietas, quamvis potens, abigere mortem non valet: «nec pietas moram / rugis et instanti senectae / afferet indomitaque morti» (*Carm.* 2, 14, 2). T. Livius notat (1, 31, 1) quot et quantis divitibus Populus Romanus Tullo Hostilio Rege abundaret. Fama erat pervulgata antiquos reges multum opibus valuisse. Qua propter hoc loco *pius* et *dives* non exornandi sed concessivam vim habent. Notandum in primis triplex unius verbi subjectum, tamquam si poeta instantissime recordari vellet necessario mortem omnibus obeundam. — **pulvis et umbra sumus**: ecce totius carminis significantissimum momentum in quo funerea pulveris et umbrae imago totam exprimit inanitatē qua mors, juxta ethnicorum sententiam, eos qui in mortuorum regna pervenerunt, donat: *pulvis* in urna, in Inferis *umbra*. Quo pacto ad vitam pulveri et umbrae redeundum? Hujus modi imago apud scriptores Graecos et Latinos saepe invenitur Ovidius (*Met.*, 521): «ossa cinisque jacent, memori quos mente requiris». Confer illud Moschi latine interpretatum (3, 206): «ubi primum mortui fuerimus, ignobiles in terra concava / dormimus valde longum infinitum inexcitabilem somnum». Quod fere idem apud Catullum (5, 5): «soles occidere et redire possunt / nobis cum semel occidit brevis lux / non est perpetua una dormienda»... Somnus, nox, cinis, pulvis, umbra... ecce quae homines, ut ethnici putabant, ubi e vita excesserant, manebant!

V. 17-28. AD LUCEM NUMQUAM REDEUNDUM!

Quis hominum sibi pollicetur se cras certo victurum? Quare, quae sibi quisque indulgens in suis explendis voluptatibus impenderit, haec heredis manus effugient, cui omnia a nobis parata relinquemus, quin mors nobiscum aliquid infra asportare patiatur. Ubi Minos tulerit iudicium, nullo modo illinc egredi poterimus, nam neque Diana qua divina est potentia, ex tenebris Hippolytum liberare neque Theseus caro Pirithoo Lethaea vincula abrumpere umquam potest.

Quis scit an adjiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.
Cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituēt pietas:
infernīs neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

Quisnam scit an: Horatius sceptice interrogat de incerto tempore crastino quin ab ullo responsonem speret. Mavult Torquatum adhortari ut sui ipsius heredem se ipse constituat in pauciores dies quibus in terris vivere potest. — **hodiernae summae:** id est, numero dierum quos hactenus egimus, quibus nunc, ut avarus nummis numerandis, gaudemus. — **di superi:** di qui vivorum gerebant curam superi, contra qui mortuis praeerant inferi vocabantur. —

cuncta fugient: ratio conditionis humanae postulat ne in crastinum tempus ea servemus quibus tutius hodie frui possimus. — **manus avidas:** manus nempe avidi heredis; tamen Horatius ad manus epitheton referens, heredem inducit manibus arripientem quae vita defunctus ei reliquit, illo metu et festinatione qua metuimus ne quid nobis e manibus subripiatur. — **amico... animo:** Graecorum dicendi more hic vates utitur, id est: quae dederis ut animo indulgeas, quae voluptatibus tuis explendis concesseris Hortatur poeta Torquatum se sui ipsius heredem constituat. — **cum semel occideris:** ut supra ad v. 14 nunc instat vates. — **Minos:** iudex inferorum (cfr. 1, 28, 9 et VERG *Aen.* 6, 431) — **splendida.. arbitria:** ob naturae dotes atque virtutes, quas commemorat Venusinus, Minos non poterit non benigne Torquatum iudicare. Tamen ei ad lucem redire non licebit — **non... pietas:** neque nobilitas (*genus*, quisquis Torquatus erat, eum Horatius loco nobili natum habet), neque dicendi copia (*facundia*, quae clarum oratorem Torquatum praebebat), neque pietas (cfr. v. 15 *pius* Aeneas) Torquatum ad vitam non restituet Notanda duplex repetitio pronominis «te» in extremo hexametro impositi et triplex particulae «non» anaphora. Quam vehementer et instanter Horatius admonet Torquatum: Nullo modo ad lucem te restitues! — **neque enim:** carmini finem vates imponit spectaculo seu visione quadam duorum in inferis damnatorum. Hujus modi imaginem mythologicam defigit poeta in animo legentium quo inferna sedes perpetua aeternaque vividius depingatur. — **Diana... Hippolytum:** Thesei filius castitate clarus (*puudicus*) Dianae colendae sese devoverat, Venerem contemnens; quae ut ulcisceretur, Phaedrae novercae in eum libidinem inflammavit; sed cum Phaedrae pudicus Hippolytus obstitisset et ab ea falso accusatus esset, Theseus pater per Neptunum filio vitam abstulit. — **nec Lethaea... vincula:** idem sonat atque vincula mortis; post mortem enim aqua Lethaei hauriebatur, quod flumen erat oblivionis. — **Theseus... Pirithoo:** Pirithous ad inferos descenderat cum Theseo ut raperent Proserpinam. Vincit tamen ibi mansit; Theseus autem ab Hercule liberatus Pirithoum in terras restituere nequivit Notandum verborum tempus praesens *liberat et valet*; quod deum hominumque tentamina e domus Plutoniae tenebris mortuos eripiendi, in cassum cadere commonstrat

M. MOLINA, C. M. F.

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIIUM

Andreas Avenarius, P., Joseph Xylandro, doctori et gymnasiarcho clarissimo S. D.

Quam etiam diu, pol, fecisti, quod ad extremam epistolam a. d. XVI kal. apr. datam scripseras, suspenso te animo meum exspectare responsum. Mirabere minus, cum dixerō illas litteras tuas non ante kal. octobres, cui inscripseras, redditas esse. Deinde quid scriberem illis quinque mensibus quos consumpsi in quodam vico Superioris Palatinatus, quo me vocaverat loci parochus nepos meus, ut illum adjuvarem non tantum in Divinis obeundis officiis, verum in compositione librorum, libellorum, quisquiliarum omnium et scrutorum. Quo cum me contulissem — *Gnadenberg*, Gratiae Mons, loco nomen — medio Majo mense exeunte Julio rediturus, reditus non una causa in ipsas kalendas octobres tardabatur. Hic tandem conspicatus litteras tuas primo quoque tempore te absolvendum decreveram; sed, ut fit, in senibus potissimum, non contigit ante hunc diem attingere dactylographium.

Sed nunc, ubi tetigi, primo, quod non concoquis, coquamus diligentius «bipennium». Hic mea intererat invenire nomen illis «binis» semper *spinis* tuis, meis *pinnis*, immo *pinnulis*, unde, ut sum malis exemplis factus audaculus faber vocabulorum, cum stativam lampadem meam non junctam vidi, *bipinnulum* in *capsulam prensoriam* festino mittere. Nam *bipinnium* pro *bipennio* scribendum erat, et eram ductus ad hoc monstrum vocabuli lectis illis omnibus significationibus, quibus Georges noster, praestantissimus lexicographus «pinna» adhibitam explanat. Oro te, ipse perlegas quid «pinna» sonet, verum maxime etymologiam vocis; neque enim dubito quin cum gaudio deprehensus sis ordinem quo illic ponuntur: *pinna*, *pidna* (*s*)*pit spi*, *spina*, *spira*. Em tibi! Haud ita magno intervallo discludimur. Jam, si *spinae* magis delectant, sunt *spinae* illae *prensoriae*, sed me, qui nonnihil lucis afferri censeam illi utensili tecnico proprium esse, ut binas spinas vel pinnas habeat, cogis «bispinium» pro *bipinnio* dicere. Tamen casu nuper nescio quid quaeritans nominis apud eundem Georgen, incidi in *claviculam* et lego Vitruvium hoc nomine appellare eandem rem, quam nos «Zapfen» dicimus. Puto intellegi, si jussero puerum infigere, inferre, inserere *claviculariolum*, *embolium*, *bipinnium*, *hispinium*, *cnodaculum*, *bidentulum*, *electricapulum*, in *prensorium* vel *prensionem*, in *electriferum vascellum*, in *capsulam circitoriam*, in *loculamentum electricum* et alia fortasse etiam doctius usurpata.

Tuus «*mergulus*», quem et ipse aliquantisper cogitaveram malim esse «*mergulum coctorium*» neutraliter, «*mergulum caloriferum*». Quod *bullare* transitively usurpas ut dicas «ad aquam bullandam» utinam veterum haberet usus! *Bullita* aqua est apud Vegetium, cum *bullire* intransitive dumtaxat adhibeatur, ut sit «agere bullas». Ceterum me Gallorum *thermoplongeur* in mente mea «*thermodyticon*» incitavit, ut vocem *den Tauchsieder*.

Loqueris de SOCIETATE illa MONACENSI Latina. Cujus ego ultimum vestigium vidi ante complures annos, tum etiam urbis Romae incola et viarum ejus tritor, atque eum fasciculum, in quo noster Ferrarius venditat neoclassicam Latinitatem, contra quam ego statim paravi bellum et essem profectus cum exercitu, si tum tempus fuisset. Nullum postea alium consexi fasciculum, ut plane nesciam vivatne an prodire cessaverit. Nam si vivat censeam meum, Bavari, esse aliquas interdum ferre suppetias.

Quod oras ut Graeca omittam, etiam in hac re imitari delectat antiquos, quorum sexcenta Georges interpretatur vocabula, et verum, si sequimur, sicut antiquis illis scriptoribus etiam hodiernis inventoribus ipsa Graecorum lingua aptissima rebus suppeditat nomina. Quam vero multa medicorum nomina petuntur ex eo fonte! Data opera et solido pretio ex libraria Langenscheidtiana jussi adferri Romam vocabularium linguae neograecae, quod intellexeram doctos illos viros magna sollertia et dexteritate nova novis rebus conflare nomina. Sumamus in manum Georgen vel Forcellini tomos: o, quam multa in illis tot paginis proponuntur verba ad cotidianum sermonem spectantia! Est fere sic mihi usus, ut cum adeundus Georges fuerit totas perlustrem oculis paginas quaesitarum vocum, si quid ibi fortasse incognitum deprehendam. Et eheu! quam me plerumque conspicio pauperem! Quam vero multa illic invenias Graeca ab Vitruviis, Pliniis, Petroniis, Arnobiis, Celsis, Sidoniis, aliis praeterea non paucis usitata. Et Plinium quidem memini praefari in Historia naturali sua se ubi non sint Latina, transcribere Graeca herbarum vel bestiarum nomina. Sic est cur myosoten habeamus et non pauca nomina rerum incognitarum. Et tu, Xylander, neque hercle solus deterres nos a vocabulis Graecis? Premamus Graeca, ubi Latina praesto sunt aequae perspicua et agentia atque Graeca. Sed decurre hanc brevem vocabulorum Graecorum seriem in quae sicut dixi supra temere inferebar. Occurrit *leontopodium*, *apophonia*, *colymbus*, *enargia*, *encarpa*, *encathisma*, *encaustica*, *encaustum*, *enchorius*, *trochiscus*, *oporotheca*, *exodium*, *endromis*, *synoecium*, *synthesis*, *syrus*, *colobathron*, *chiramaxium*, *cilibantum*, *diaetarius*, *phagedaena*, quae Graeca omnia et mille alia recensentur in Lexico Latino Georgeano.

Multos hodie invenias analphabetas, qui te parum explicite et tortuose scribere Latina conclament, si usurpaveris voculam e media Latinitate depromptam, non tamen adglutinatam in apotheca eorum cerebri. Quid igitur ejusmodi statuis vario democraticae scientiae ecfertis furfure incites notionum loquens *pandationem*, *sicilimentum*, *sicilicum*, *siculam*, *subtegulaneum*, *axicu-*

lum, obstreptaculum, capulum, struicem, vestispicum, camillum, sincinium, quidquid-cadias?

Non admodum diu est, cum ego rogatus a quodam, interpretans breuiusculum sermonem posui etiam hanc adhortationem: *Cedo qui...* Tum ille cum aliis. At istud *cedo*, quid sibi velit, nemo intellet. Frustra obnitens suadeo recognitionem verborum defectivorum grammaticae, frustra declamo etiam, quod fortasse ipsi quondam scholae non vitae didicerant in «O Tite si quid» «*Cedo*, qui vestram rempublicam tantam amisistis tam cito?» *Cedo* non est in illa cistella memoriae eorum, ergo obscura nimium et tortuosa Latinitas est. Non paucos hodie invenias, qui absoluto gymnasio olim humaniore, quia ibi olim discebatur humanitas, callere se censeant linguam Latinam, qui cum minus, ut est eorum captus, apiscuntur intellectu Latine scripta vel dicta, non ignorantiam incusant suam, ignaviam, segnitiem, sed obscuritatem et affectatam elegantiam linguae Ciceronianae dudum obsoletae.

Sum et ipse, fateor, ex eo genere stipitum, quos supra statuas nominavi; sed me saltem pudet ignorantiae meae qualibet Georgis pagina testatae: illos pudere desiit, illi vel placent sibi squalidi.

Sed quo, quo ferimus effrenes? Iterum dicturus eram, quod dicebam ante viginti annos: condendum librum esse, in cuius paginis ordine alphabetico recenseantur ea vocabula usus cotidiani, quae in scholis et illis tribus libris, quae hodie in scholis degustantur non ebibuntur, non addiscuntur, quibus scaturiunt Georgis, Forcellinii, Ducangii lexica. Ducangii laetus simul et tristis vidi tomos Parisiis prodire denuo: laetus, quod copia fit tam ampli operis, tristis, quod neminem video Croesum qui necessariam ad emendum subministret summam. Exspectati autem vocabularii pars prior ex Latina in nationalem linguam dabit iter, par altera ex nationali in Latinam. Hic orbis terrae, mihi crede, in summam raperetur admirationem obstupefactus vocum numero Latinarum, vel exterarum frequentia, et illae putidae Latini sermonis paupertatis excusationes obmutescerent ultro. Quantopere etiam de re nostra mereretur, qui sparsa per libros atque commentarios Latinos novata vocabula colligeret in tabulis ordine litterarum. Et haud scio an omne tulerit punctum is qui ex ipso vocabulario proferat in medium tot illic sopitas sententias conformationesque verborum ad comparandum sucum vere Latinum, ad ducendum, si ita dicere licet, linguae Latinae spiritum. In quam ego haec sententiam dicam, agnoscas exemplis. Fac me iussum reddere Latine hoc Gallicum: «*La plaque non est encore développée*». Ultro hic menti subeunt «*imago photica, pellicula, balneum, eductio imaginis*». Hoc ipsum «*producere*» ego certe ante nonnullos dies facturus eram «*evolvere*» vel «*explicare*»; dixissem: «*imago nondum evoluta est, nondum explicata, producta est*». Nunc quaerenti casu in George ejus verbi, quod est «*efficere*» cognata nomina, obviam fit «*effectus, a, um*», adjectivum, cui inesset vis et significatio nostrorum vocabulorum: «*durchgearbeitet, verarbeitet, ausgeführt, entwickelt*» (non inchoatus tan-

tum): jam igitur *imaginem nondum effectam* satis esse respondebitur. Ubi quis audiit «bibere», nosse se sane arbitratur verbum Latinum; dic ei: bibemus nomen tuum, trunco loqueris. Quis non intellegat si de «blandiundo» incidere sermo, praesertim cum inter deponentia quartae conjugationis decantaverit: «blandior, blanditus sum, blandiri»? Idem cognitor linguae Latinae apud Ciceronem legens «eblandita non enucleata suffragia», quae sint haereat neque ingemiscat suam ignorantiam, verum maledicat Ciceronis garrulitati parum perspicuae. Hoc modo conspexi in George specimen Ciceronis: amissimus, inquit, sucum et sanguinem. Interroga illos sciolos, quid haec verba valeant. Da unum, qui hujus sententiae quae est: «velabatur pallio caput exclusis utrimque auribus» non statim «exclusive» cogitet, sed id, quod cogitavit, cujus ea oratio est, Seneca. Et ne plura, quoniam dudum scribere pergo librum: confici volo ejusmodi vocum vere Latinarum et interpretationum corpus, quibus non semel decursis, sed lectis, recognitis, ruminatis crescat, locupletetur, perficiatur, qui in nobis a grammaticis inchoatus est, sermo Latinus. Id genus verborum et vocum tabulas et ipse, si per tempus et aetatem liceret, scriberem. Priusquam enim Latinum illum colorem duxerimus, erimus barbari, ejus homines ordinis, quo me ante annos circiter triginta quinque habuit miles nescio quis Gallus, ex quo, Gallice locutus, cum in statione ferriviaria urbis Wendalinae quaesissem; intellegeretne, quae dicerem ego: *Vous parlez, inquit, selon la grammaire*. hoc est: «nimium grammaticam olet sermo tuus, parum habes Gallici sermonis». Tibi haec scribens hortabar alios viros, praesertim emeritos professores linguae Latinae, ut hanc tam optimam illisque dignam provinciam adirent; scripsi tibi, cui ego iisdem conjuncto studiis magis loquerer ex animo.

Quod exspectas vale, accipies, cum acceperis me tua exspectare nomina pro nostro *Fallobst* et pro nostra *Endstation*. Decidua poma (mala, pira, pruna) dico ego, et finalem stationem extremam, extimam. Interrogatus igitur a tesserrario in curru viae electrificatae, quamnam ad stationem tenderem, respondi: «ad extimam».

Tandem te legendo fatigatum facio missum. Jam bibe, quod proficiat cordi et brevi te committe quieti. Ex Augustiniano S. V. D. et urbis Bonnae vicinitate, XII kal. dec. anni MCMLIV. Cum lectissima uxore et carissimis filiis etiam atque etiam vale.

ADNOTATIONES AD SUPERIOREM EPISTULAM

P. Avenarii epistula supra typis descripta, etsi mihi destinata est, omnes tamen compellat palaestritas, immo omnes viros per universum orbem linguae Latinae studiosos. Et est sane, cur ei adhibeamus aures attentas. Veluti equidem P. Avenario auctore in eam paulatim deductus sum sententiam, ut

linguam Latinam hisce ipsis temporibus putarem inter viros doctos ad omnis generis res exprimendas adeo valere posse, ut ipse initio cunctabundus et temptabundus, tum, crescente audacia, vel de hujus aetatis rebus scribere coeperim, in qua re interdum mihi esse videbar corvus inter cygnos crocitanus, ita lectores oro obtestorque, ut legant labore improbo antiquos, medios, novicios versentque lexicam manu nocturna manuque diurna et hac ratione illum ducant Latinitatis spiritum, quem Avenarius noster efflagitat crebris precibus. Cum autem P. Avenarii sententia prorsus conveniat cum ea, quam P. Mirius in luculenta gravique commentatione «Viget Latinitas» explicavit, opinione, de epistulae Avenarianae parte, ut ita dicam, theoretica nihil dico amplius. Namque tam copiose, tam abundanter, tam subtiliter rem amicus Tyrsagriensis persecutus est, ut ne minimum quidem verbulum in controversiam queat venire. Propius tamen accedam ad eam partem, quam practica dicere licet, de quaque breviter strictimque exponam. De Graecis autem vocabulis moneo, ut licentia prudenter sumpta ac iudicio circumspecto usurpentur. Qua de causa praefracte jus postliminii negabo voci, quae est *thermodyticon*. Rem enim satis superque dilucidat «mergulus calefactorius» aut «aquae calefactorium». Nullam praeterea invenio causam, cur «merguli» genus nativum, quod est masculinum, citra veterum auctoritatem mutetur in neutrum. Verumtamen P. Avenarius optimo iure soloecum «ad aquam bullandam» cerussa notavit. Emendandum est: «ad aquam bulliendam». Documento est non ilico arripienda esse inconsulto lexico, quae apud unum et alterum hujus aetatis scriptorem inveneris, quamvis linguae Latinae intellegendissimum, id quod mihi accidit pro mea segnitie. Dormitat interdum bonus Homerus.

Jam adsiliam ad nomina, quae pro Germ. *Stecker*, Hisp. *clavija*, atque Germ. *Steckdose*, Hisp. *caja de enchufe* quaeruntur. Rem per XIV dies in multam noctem meditatatus cotidie, hoc habeo, quod ad vocabula proposita animadvertam. *Stecker - clavija* sit Lat. «clavicula». «Claviculariolum» novari opus non est. Sufficit «clavicula». Neque tamen reprobem «bipinnium», quod stomachus meus epistula allata ut fermento levatus concoxit, maxime si res subtilius explicanda est. Excipio autem «cnodaculum», «embolium». Sunt enim tam certa significatione, ut ea in nostrum usum converti non posse putem. Excidit etiam «bidentulum», cum «bipinnium» et «spina» jam suppetant ad rem distinctius describendam. «Electricapulum» quoque expungo. Aliquandiu quidem cogitaveram hanc vocem deflecti posse ad id, quod in «capsa prensoria» Germ. *Klemme*, Hisp. *borne* vocatur, sed censeo «morsum», quem pro eadem re in SOCIETATE LATINA a. 1953 proposui, anteponendam esse, quia «morsus» re vera claviculae bipinnium aut spinam in capsula prensoria mordicus tenet. Praeterea minus «capulo» ideo locum dare velim, quia etiam de connexionis inter lampadem stativam et capsulam prensoriam funiculo intellegatur. Est igitur vox sane ambigua. Propterea commodum est «capu-

lum» hoc loco non adhiberi. *Steckdose - caja de enchufe* «capsula prensoria, pressio, loculamentum electricum». Optime! Excipio tamen «capsulam circulatoriam». Quod nomen mihi videtur esse aptius ad id appellandum, quod Gem. *Abzweigdose*, Hisp. *caja de derivación* dicunt periti, nisi hoc loco «capsula derivativa» aut «derivatoria» praeferatur. Proinde omittatur. «Electriferum vascellum» nonne est elementorum ille galvanicorum complexus, quam periti «pilam electricam» vocant? Excidit igitur in nostro negotio.

Jam serpit oratio ad *Fallobst - fruta caída*. P. Avenarius de pomis deciduis cogitat. Cum autem decidua vel cadiva poma ea sint, quae decidunt, non quae deciderunt, hoc loco tantummodo «caducus» in usum vocari potest. Nam hoc nomine adjectivo significatur res «in facto esse», non solum «in fieri», ut ajunt philosophi. Quod cum ita sit, mallet de pomis «caducis» loqui. Sed, dubius sum, an numquam, quid sit «poma caduca», intellegatur. Certe potest uxor famulam jubere in horto poma colligere caduca, ut ea postmodum cicco partibusque vitiosis exsectis in pulvem coquat, sed ei mandabit, ut in taberna «poma casu vitiatia» emat. Nam cum *Fallobst* sint poma vilioris notae atque saepe opponantur pomis integris, equidem dicerem de «pomis casu vitiatis» aut de «pomis contusis» quotiescumque res in genere est significanda, sed, cum res definita denotanda est, «pomis caducis» praecipuum dandum esse mihi cum pace tua videtur.

Sic omnes epistulae veluti stationes emensus ad «terminum», ad «stationem terminalem» perveni, quae bonis Avenarii propositis sunt adjecta.

Restat, ut, quae disputatione effeci, comprehendam.

Stecker - clavija: clavicula, bipinnium, spina.

Steckdose - caja de enchufe: capsula prensoria, pressio, loculamentum electricum.

Klemme - borne: morsus, us.

Batterie - batería: pila electrica, vascellum electriferum.

Abzweigdose - caja de derivación: capsula derivativa, derivatoria.

Fallobst - fruta caída: poma caduca, poma casu vitiatia, poma contusa.

Endstation - estación de término: statio finalis, terminus, statio terminalis, ceteraque, quae P. Avenarius attulit.

Sospitent te, mi Avenari, semper caelites! Cura, ut valeas.

Lebachii scribebam tripudii diebus ante quadragenarium jejunium a. MDCCCCLV.

JOSEPHUS HOLZER

L. Ae. Tubero ex Africa repellitur

PERSONAE: LUCIUS AELIUS TUBEROR. — QUAESTOR, TUBERONIS COMES. — LICTOR. — LIGARIUS.

(Res in provincia Africa agitur, juxta mare)

I

TUBERO. — Aptissimum mihi paravit locum Senatus, ut imperem: in Provincia remota, ubi tenuiores aerae, agri feraces, pauci atque bene morati cives; unum timeo gravem istum solem...

QUAESTOR. — Timorem excute, Tubero. Prospera omnia cedent; omnes tibi obsequentur.

TUBERO. — Id sane futurum spero.

QUAESTOR. — En quo modo vel ipsi fluctus ad nos reverenter accedunt, quod quidem significat cives Africanos libentissimo tibi animo obtemperaturos.

TUBERO. — Expectandum erit. Hi tamen fluctus an hostium remis concitentur nescimus... Quamquam, quo usque bellum Romae coortum protrahendum sit ignoramus.

QUAESTOR. — Nec cura de bello. Semper Pompejus e proeliis victor excessit.

TUBERO. — Tibi equidem assentior; nunc autem pro eo pauci spondent.

QUAESTOR. — Fama est vel hanc gentem ad arma concurrere. Res in Asia et Aegypto fervet.

TUBERO. — Nunc cum Ligario con-

veniam, ut de re colloquamur, priusquam bellum exoriatur. Semper bella detestatus sum.

QUAESTOR. — Bene habet, Tubero; medius esto: neutram sequere partem.

TUBERO. — Quod si cives Africani arma capient, contra Caesarem ferent, idque me in Pompeji societatem artius constringet. At... nonne Ligarium arcessisti?

QUAESTOR. — Arcessivi quidem per servum, neque moram faciet.

TUBERO. — Ligarium exinde benevolum erga me futurum spero.

QUAESTOR. — Multa de eo apud populum narrantur, quae prorsus falsa videntur; hominem tamen ignavum arbitror. Tu vero provinciam Africam callide es moderaturus.

TUBERO. — Togam praetextam vehementer ambio. Quando ante me duodecim praecedent lictores? Quis vero fortunam ac gloriam meam intercipere poterit? Et quando Ligarius adveniet?

QUAESTOR. — En quibusdam stipatus viris obvius fit nobis.

TUBERO. — Tot eget sociis ut palam progrediatur? Neque optima legati

species ac figura. Ut vacillant pedes! Me cum aspiciet, animum sane confirmabit!

II

LICTOR. — Cives Romani! En vobis Ligarium, C. Considii legatum.

TUBERO. — Peropportune advenis, Ligari. (*Eum more Romano salutat*) Senatus scripta lege.

LIGARIUS. — (*Volumen explicat, legit et Quaestori reddit*) Ecquid tu istuc?

TUBERO. — (*Admiratione commotus*) Profecto Senatus decretum rem tibi ostendit. Nonne legisti?

LIGARIUS. — Idque attento animo... Quid inde? Rem flocci prorsus facio.

TUBERO. — (*Iratus*) Quid vero? Nonne es tu Ligarius?

LIGARIUS. — Nonne tu advena immisus huc irrepisti?

QUAESTOR. — Maxima adhuc, Q. Ligari, usus es auctoritate. Novum tamen Propraetorem praecipuo honore observa.

LIGARIUS. — (*Irridens*) Novum audio Propraetorem? Perbelle, perbelle id sane. Risum tenete, cives.

TUBERO. — (*Graviter*) Haec joca, Quinte, omitte, quaeso. Colloquamur et inter nos conveniamus. Aliter... Scis enim...

LIGARIUS. — Id unum scio, fateor equidem, Africae Propraetorem C. Considium esse, meque ejus legatum. Quod tamen vos ad has accedere oras passus sim, profecto est cur magno tribuatis beneficio.

TUBERO. — Quae tua verba? Quem me facis? Rursus scriptum perlege (*Volumen porrigit*). Esne oculis captus?

LIGARIUS. — Attento perlegi animo. Quod tu, egomet assero meisque verbis plane confirmo; te in Africam advenisse Propraetorem! Mirificam sane rem! Et gratulor tibi et maxime gaudeo! (*Papyrus scindit ac in Tuberonis vultum projicit*).

TUBERO. — Qua ergo auctoritate et imperio Senatus mandata, meamque potestatem conculcare audes? Senatus Romani jussu me huc advenisse scito. Id tecum cogita.

LIGARIUS. — Tibi prorsus assentior; sed Romae Senatus Pompeji partes sequitur, qui te, ut hic vociferantem atque latrantem audiamus, profecto non misit. Ergo te hinc in pedes dare propera.

TUBERO. — (*Maxime iratus*) Ain' tu? Mihi... me... ego? Vos, caelestia numina, testor!

QUAESTOR. — Nostin', Q. Ligari, Tuberonem hujus Provinciae creatum a Senatu Propraetorem?

LIGARIUS. — Tace, atque hinc festinate.

TUBERO. — Me hinc abire? Senatus prohibet. Quis tantam perpeti potest injuriam? Cum Romam advenero, conjurationem tuam in rem publicam et in me contumeliam Senatui patefaciam. At... neque Romam pergam, sed Pompejum conveniam. Abeo. Id tamen prius rogo: dolia nostra exhausta sunt. Fac aqua compleas.

LIGARIUS. — Quid tu? Mirifice rem ipse perficies. Mare totum tuum est. Bibe quantum velis pleno ore tu et naves tuae...

TUBERO. — Sceleste! Contumeliam recordabor.

LIGARIUS. — Justitia injustis civibus favere non audet.

TUBERO. — Fac dolia aqua compleantur!

LIGARIUS. — Omitte verba. Aut in navim, aut in mare profundum. (*Discedere intendit*).

QUAESTOR. — Quinti filii, Tubero, memor esto. (*Deinde Ligario verba facit*). Saltem hujus filii graviter in navi aegrotantis miserere: illum apud te hospitem benignus recipe.

LIGARIUS. — Tu pro filio Tuberonis quicquam petis? Hoc patris officium est; ipse suomet ore pro filio loquatur.

TUBERO. — Me illi iterum subjectum, ut nihil assequar? Me, Africae Praetorem, ad hujus scelesti pedes provolutum?

LIGARIUS. — Neque filius tuus Africae terram attingere audeat: maris alti aerae illum reficient et in sanitatem restituent.

TUBERO. — Quantam hominis impudentiam! Quam tamen capite tuo lues, neque enim multum dies ultionis abest.

LIGARIUS. — Officium equidem meum perbelle adimpleo haec litora custodiens atque Caesarianos omnes ex eis extrudens.

TUBERO. — Ego nunquam Caesaris partes sum secutus neque a Pompejo unquam discedam.

LIGARIUS. — Quid? Tu Pompejanus?

TUBERO. — Pompejum semper defendam.

LIGARIUS. — Praeclarum illum virum minime sequeris. Aliter, cur Africam appulisti? Ut ipsum Pompejum ejusque milites hinc expellas?

TUBERO. — Hinc abibo. Verum verissimum jusjurandum juro deosque patrios obtestor me talem contumeliam vi cito propulsurum (*Exit*).

LIGARIUS. — Impudentes, intempestivos atque latrantes advenas deridete, atque Caesarianos milites hinc propulsate! (*Irridens*) En tibi mare magnum, benignum, tranquillum! Te comiter excipiet Africae salvatorem (et te utinam devoret)! Me autem sine mea otia amare atque rem familiarem ampliare. Quae profecto ille Caesar auferre non poterit.

LICTOR. — Ita sane, nam neque Caesarem victorem neque Tuberonem tui memorem tota tua aetate amplius videbis. Bene Pompejum nostrum! Io, cives Romani. Pompejum conclamate, Romae et Africae victorem atque imperatorem! Bene Pompejum nostrum! Bene et Ligarium, Africae legatum!¹

R. VALLS, C. M. F.

1 Anno MCML, die Beati Thomae Aquinatis sacro, in Collegio Claretiano Barbastrensi sollemnis habitus est conventus in quo oratio M. Tullii Ciceronis *Pro Ligario* diligenti studio ab alumnis Latinitatis descripta et excussa est. Illa puerorum exercitia hic — qui nunc editur — dialogus est subsecutus.

SOMNIUM SOMNIAVI

TOLLE CRUCEM TUAM ET SEQUERE ME

*Tempus erat prima quo luce albescere caelum
Incipit ac specie referunt quo somnia verum.
Mollis adhuc leviter me somni vincla tenebant,
Invadi ignota cum me dulcedine sensi
Corporis intimius vires animaeque penetrans
Robore quae vitae penitus dedit esse beatum.
Tunc animo exsulto clamans: «haec illa superna
Gustavit caeli quae maxima gaudia Paulus!
Haec ultra nihil est! Feliciter omnia terrae
Liqui, digna sequi reputans caelestia tantum»...!
Ast, ubi sum...? circum quis adest ut tanta voluptas
Intertus surgat sensusque redundet in omnes...?
Jam videam!!! —Hic expergiscor... mea lumina nullo
Conatu resero, lectique admiror ad oram
Jesum ipsum... tristi vultu gradientis in actu,
Impositaeque Crucis pondus praegrande ferentis.
Laetitia obstupui simul atque timore et amore...
Raptum oculos claudio ac resero, cur nescio; at omne
Ipso vanescit visum sub temporis ictu,
Dulce meas resonans dum vox sic fatur ad aures.
Quod jam gustasti fuit umbra levissima eorum
Quae tibi caelorum suprema in sede paravi...
Ipse Crucis volui pro te perferre dolores...
Quam tibi cumque dabo, tu, post me tolle secutus,
Mecumque aeternum, fili, gaudebis in aevum.*

*—At verum vidi? an species me vana fefellit?
Audiivi verba; an me lusit amabilis error...?
Tempus erat prima quo luce albescere caelum
Incipit, ac specie referunt quo somnia verum.*

ALOISIUS LUCESOLE, Pbr.

PER ORBEM

I. **Congressus Scientiarum Onomasticarum (Toponymiae et Anthroponymiae) ex omnibus gentibus coadunatus.** — Mense aprili — a die die undecimo ad quintum decimum — praestantissimi et eruditissimi viri ex omnibus nationibus Salmanticae congregati sunt qui de scientiis onomasticis summo studio agerent. Qui habitati sunt conventus summae fuerunt ad scientiarum progressus utilitatis.

II. **Cursus aestivi pro exteris civibus.** — Universitas Barcinonensis indicem Cursuum Aestivorum pro exteris in annum MCMLV evulgavit; qui duo erunt, alter in insula Majorica, qui a die quarto ad vicesimum quintum mensis julii protrahetur; alter vero Barcinone, qui a die tertio ad vicesimum quartum mensis augusti continuabitur. In utroque tamen idem propositum alumnis describitur, linguae Hispanicae grammaticam percipere atque insignia cultus Hispanici cognoscere. In tres vero Cursus scholae distribuuntur: Cursus primus pronuntiationem, morphologiam, conscriptionem et exercitationem Hispanicam; Cursus medius, morphologiam et phoneticam; Cursus tandem superior, syntaxim et stilisticam comprehendet. Primo Cursui tres horae in die assignantur; Cursibus medio et superiori duae horae cottidie. Quanquam uterque Cursus idem generale propositum habet, scholae tamen in unoquoque diversae erunt ut alumni ad hos Cursus separatim, si velint, accedere possint.

Horum Cursuum scholas Magistri et Professores Universitatis Barcinonensis praecipue tradent; quorum est Moderator Dr. Marianus Bassols de Climent.

III. **Hispania Romana.** — Casu — ut ita dicam — quaedam magni momenti ad historiam Hispaniae Romanae illustrandam nuper inventa sunt, *Thermae Baetulonis* et *Miliarium Viae Augustae*: utraque in provincia Romana Tarraconensi, quae nunc est provincia Barcinonensis.

Thermae: Baetulo (*Badalona*) multa cultus Romani vestigia prae se ferebat; est enim urbs undique Romana. *Thermae* — quae admodum illis Pompejanis similes sunt — juxta castellum Marchionis a Barberá, in loco cui vulgo *Clos de la Torre-Vella* sunt repertae. Cl. v. Prof. Serra Rafols *thermas* in quingentorum circiter metrorum quadratorum latitudinem protensas esse existimat. Apodyterium et opus eximium vermiculatum effossa sunt; caldarium et frigidarium sub via publica sine dubio jacere viri docti dixerunt.

Miliarium Viae Augustae in agro, qui vulgo dicitur «Can Vilalta» — quique inter vicus «Vilasar» et «Cabrera» —, est inventum. Nam cum nuper automati

tractorii ope agricultores ararent, lapidem detexerunt cujus dimidiam partem tantum extrahere potuerunt, in quo haec inscriptio incisa est:

PONT... SVMVS
VIA AVGVSTA

Ex quo viri periti inferunt hac regione Viam Augustam Romanam patuisse, et sententia cl. v. Mariani Ribas Bertrán confirmatur, quam ille in opere, cui index *Notes historiques de Mata*, exposuerat.

IV. Praecipuae lucubrationes ex ephemeridibus:

ERNOUT (A.) — Vis, Vires, vis... (*Revue de Philologie*, Fasc. II, 1954; pg. 165-199).

DUMEZIL (G.) — Remarques sur les dieux Grabouio - d'Iguvium (id. pg. 225-235).

P. MORAUX. — La «mimesis» dans les théories anciennes de la danse, de la musique et de la poésie (*Les Études Classiques*, Janvier, 1955, pg. 1-13).

P. DE RAVINEL, S. I. — Cicéron est-il un bavard? (Id. pg. 14-26).

P. BRUNO. — Verba vel novitate vel conjunctione facta apud Ciceronem (*Latinitas*, Oct. MDCCCCLV, pg. 274-282).

A. BACCI. — De Ecclesia Latinitatis fautrice (Id. Ian. MDCCCCLV, pg. 12-22).

H. TONDINI. — Linguam Latinam ad omnium doctrinarum commercium esse ubivis aptam exemplis demonstratur (Id. pg. 24-52).

J. MIR, C. M. F. — De Alexandri Flemingi salutaribus inventis (Id. Apr. MDCCCCLV, pg. 103-110).

LUIGI PARETI. — Cesare e la Galia (*Studi Romani*, I - 1955, pg. 1-10).

G. DUMEZIL. — Ordre, fantasie, changement dans les pensées archaïques de l'Inde et de Rome (*Revue des Etudes Latines*, XXXII, pg. 139-161).

M RUCH. — Météorologie, astronomie et astrologie chez Cicéron (Id. pg. 200-219).

P. BOYANCE. — Le sens cosmique de Virgile (Id. pg. 220-249).

A. GUILLEMIN. — Sénèque directeur d'âmes (III: Les théories littéraires) (Id. pg. 250-274).

S. CORBIN. — Notations musicales dans les classiques latins (Id. pg. 97-99).

J. MAROUZEAU. — Qu'est-ce que l'allongement «par position»? (Id. pg. 100).

GARCÍA Y BELLIDO A. — La «modestia» de Trajano ante la recepción del Imperio... (*Estudios Clásicos*, n.º 14, pg. 3-9).

MONTERO DÍAZ, S. — El Estado universal de Trajano (Id. pg. 10-24).

A. MONTERO DUQUE. — Bibliografía de Trajano (Id. pg. 25-38).

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

COLLECTANEA

Cl. vir M. María Peña in ephemeride — quae ad fovenda et provehenda apud Hispanos «studia classica» summa opera elaborat— cui est index «Estudios Clásicos», quid ipse censeat de cursu quo ad Universitatem alumni prae-
parantur (*Curso Preuniversitario*), probato iudicio exponit. Cum vero de distributione generali hujus Cursus dixit, de his quae ad linguam Latinam spectant, agit; cujus lucubrationis summam en habe: ¹

«Uno de los más interesantes valores formativos de la traducción latina es que pone en juego facultades nobles: discurso lógico y gusto estético. Con el Latín fácil que, en ciertas zonas de lo recomendado (textos legales medievales, parte de la Vulgata) deriva casi hacia lo macarrónico, se habitúa el alumno a traducir por instinto, con lo que, en lugar de ser freno y regulador de la irreflexión, es fomento y estímulo de ella. Otrosí, de la inatención interna compatible, sobre todo en alumnas, con los más extáticos, encandilados y arrobados signos exteriores de falsa atención. Buena terapéutica para la distracción el Latín reflexivo, nula o contraproducente el instintivo. Y lo mismo del atolondramiento, del «apuntar

después de haber disparado», en frase gráfica que atribuyen a don Eugenio Montero Ríos. Todos padecemos el caso del discípulo, a veces mejor que mediocre, que en su vagar mental traduce *amatus es* por «es amado», o *ejus* por «ellos». La traducción veloz, como sistema, agravaría este vicio.

Ni el traducir pronto y mal textos no clásicos puede favorecer los otros objetivos que de ordinario pretende lograr el estudio del Latín. No contribuye al conocimiento de la cultura clásica. Puede maleducar estéticamente, si predominan textos bárbaros o antigramaticales. Claro que en el acervo recomendado por las normas no todo es así. Por eso se impone una severa discriminación...».

Cum vero de libris agit qui ab alumnis e sermone Latino in Hispanicum sunt convertendi, linguam ecclesiasticam a philosophica et juridica probe discernit. Quid vero de lingua ecclesiastica sentiat cl. scriptor sic enuntiat:

«En lo que se llama «Latín eclesiástico» hay de todo: estupendas bellezas literarias, junto a una acrisolada pureza gramatical, en ciertos Santos Padres; frondosidad oriental en otros; cierta aridez y menosprecio de la estética, subordinada a la inteligibilidad y al vigor persuasivo, en algunos; barbarismos, hebraísmos, arameísmos, grecismos, vulgarismos, en lo más de la Vulgata; claridad y sencillez purismo en el Salterio nuevo; neoclasicismo, a veces quintaesenciado, en los documentos papales; complicación barroca en ciertos himnos litúrgicos. ¡Hay donde elegir! Nosotros escogeríamos algunos fragmentos de las cumbres de la Patrística: San Agustín, San Jerónimo, San Gregorio Magno (confesamos un especial

gusto y afición a la plenitud, a un tiempo austera y magnífica de San León Primero...). No menospreciamos la prosa de doctores más modernos, como el Venerable Beda o San Pedro Canisio. Manejaríamos con precaución la Vulgata, más apta (desde el punto de vista de la lengua, huelga decirlo) para ejercicios de aplicación que de formación. Utilizaríamos el nuevo Salterio, con su sintaxis fácil, pero correcta, y su morfología y léxico de época clásica. No omitiríamos algún himno del Breviario, como los muy bellos del oficio de Cristo Rey, que muestran las posibilidades del Latín para expresar, poéticamente, conceptos actuales. También hallaríamos materia aprovechable en el Latín, por lo común correcto, y puro, de los

1. M. MARIN PEÑA, *El Latín en el Curso Preuniversitario*, «Estudios Clásicos», n.º 14, p. 64-68.

documentos de la Sede Apostólica, y en el Catecismo Tridentino. Claro es que hay un latín eclesástico del que, en libro reciente, ha dicho el jesuita P. Springhetti que parece exigir como único requisito en quien lo escribe el no saber latín. Pero como tal lenguaje no suele

pasar a las antologías ni a la liturgia, y se queda en libros de texto, documentos de curias subalternas y uso oral o escrito de Seminarios, queda por sí solo al margen de nuestro objeto».

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

NARRATIUNCULA

Petrus Rosegger, Austriacus, poëta et narrator egregius, natus anno 1843, mortuus anno 1918, memoriae prodidit inter alia, quae ei puero acciderant, etiam hoc: patrem, agricolam, multis et gravibus, quibus assidue premebatur, curis severum hominem et truculentum fuisse, ut filii familias eum magis timerent quam amarent.

Nunc Petrus nescio quid designaverat neque injuria timebat, ne opipare vapularet. Itaque anxius, quoad potuit, judiciariam actionem et quod sibi impenderet infortunium, protelavit. Sed qua arte quam diutissime lateret? Cogitanti in mentem venit arcam satis amplam stativi horologii, quod erat in conclavi, tutissimum esse latibulum et ilico eo se abscondit et per claustrale foramen, quae circum gererentur, speculatur.

Pater facinore filioli cognito irascitur minitans debitum scelerato puero fustuarium, ceteros filios dimittens ut quaesitum Petrum adducant. Quaerunt illi in horto, in agro, in silva, sed nusquam comparet Petrus. Inter se simul, ubi tandem esse possit Petrus, interrogant. Fugeritne in montium solitudines et ex alto praecipitaverit, an metu percussus poenae mortem sibi consciverit: nemo videt certa. Solus in conclavi pater anxius et sollicitus ultro citroque incedit, postea it sessum. Tum vero Petrus per foramen claustrum spectat, quod nunquam viderat ante, quod nullo modo fieri posse credidisset: videt patrem, alias tam severum et tristem, caput condentem manibus et acerbe flentem amissum Petrum suum. Visis paternis lacrimis non potest diutius retineri in arca horologiaria, sed cadentibus et ipsi per genas lacrimis in amplexum ruit parentis, jam verum expertus parentis animum, quam carus esset Petrus truculento patri filiulus.

A. AVENARIUS, S. V. D.

SOCIIS ET ALUMNIS RESPONSA DANTUR

Cl. v. ERN. GOEB... *Spirae*. — Maximas tibi referimus gratias quod nos certiores facere voluisti de illo conventu praestantium virorum, qui ex tota Germania convenientes, antiquarum linguarum investigationibus studiose operam dabunt. — Utinam res nostra et tua prospere succedant!

Cl. v. Prof. FRANC. DELLA C... *Genuae*. — Litteras tuas, quibus rogabas ut ad vos PALAESTRAE LATINAE fasciculos ab anno MCMLI mitteremus ut et vos opera a vestra Universitate edita ad nos mittenda curaretis, benigne accepimus. Quo deinceps PALAESTRAM LATINAM cum libris a vobis editis commutabimus.

Cl. v. AMAD. PAC... *Frusinone*. — Quod tantam tibi comparaverim voluptatem — cum ad te illa opuscula tua separatim excusa nisi — maxime gaudeo; novumque, quod monstras, ingenii tui insigne documentum fac mittas, nam cum de patinis coruscantibus ibi agas, PALAESTRAM LATINAM legentes maxima — ut speramus — oblectatione afficies. Terna Commentariorum exemplaria, quae postulas, Administrator diligenter mittet.

Jo. HAFNER. *Augustae Vindellicorum*. — Petrus Codina, qui et ipse in ediscenda Latinitate studiose incumbit, ad te scribet libenter.

Jo. ANT. ZALD. *Celsonae*. — Gaudeo vos grata nos prosequi memoria et annorum, quibus in Collegio Barbastrensi permansistis, gratissimam retinere recordationem. Studiorum fructus nunc tandem percipere incepistis qui in dies certo uberiores erunt; quos et in campo Latinitatis decerpere et vobis et nobis erit gratissimum.

P. A. GÓMEZ. *Jerez de los Caballeros*. — Quaeris a nobis quo utamur libro ut grammaticam Latinam alumnis tradamus. Non desunt sane apud nostrates plures eaeque optimae grammaticae Latinae; sed difficile est illam invenire quae maxime apta sit ut discipuli facile regulas grammaticas ediscant easque retineant. Grammatica cl. viri Basilii Laín, in Instituto «Michaëlis Servet» Professoris, poterit tibi et alumnis commodum et utilitatem afferre. «Comillensis» optima est, sed — ut ais — leges fortasse nimium summatim tradit; sunt et alia optima.

J. ALDAVE. *Orio*. — Quod dicis te «gaudio summo affectum, ob oculos habere primum PALAESTRAE LATINAE adauctum et diligenter ornatum numerum, et quamvis minimus sis Latinae linguae cognitor et cultor nobis vehementer gratulari», est profecto quod et nos laetemur et te ad ampliora studia adipiscenda cohortemur. — Ita sane, carmen tuum ad concentum musicum probe sonat, sed si illud ad leges prosodiae Latinae aptare velis, minus recte procedet. Sint tibi ad manus hi libri: «Prosodia y métrica» (BOSCH SAN-SÓ, Palma de Mallorca) et «De arte metrica Latina» (Prof. GR. MARTÍNEZ CABELLO, C. M. F., Coculsa, Madrid), et ipse opus tuum facile perficies.

BIBLIOGRAPHIA

C. S. ALISEDA. — *Textos Cristianos*. Antología de autores latino-cristianos en prosa y verso Editorial Católica Toledana, Toledo 1953.

Prof. C. Sánchez Aliseda hoc volumine collegit scriptorum christianorum fragmenta quae ipse aptissima atque utilissima iudicavit non tantum ad erudiendos alumnos in litteris humanioribus sed ad Historiae Ecclesiasticae, Patristicae, Liturgiae viam deinde eis ingrediendam. Quapropter nonnulla scripta inseruntur ex Actis Martyrum et Vitae Patrum alumnis secundi cursus interpretanda. Epistolae quoque selectae B. Cyrilli et B. Hieronymi, sermones varii B. Leonis Magni et «De mortibus persecutorum» Lactantii alumnis tertii cursus proponuntur. Quarto vero cursu «Apologeticus» Tertulliani ac nonnulla B. Ambrosii et B. Augustini fragmenta converti possunt. Quinto demum cursu carmina Prudentii, Hymni Liturgici atque specimina quae in secunda parte operis exstant.

Haec puchra textuum christianorum collectio commendationi «Commissionis Episcopalis pro Seminaribus» respondet cui consentaneum immo et necessarium visum est jam inde a primis annis curriculi ecclesiastici opera Sanctorum Patrum, ex parte saltem, alumnis tradere ut per se ipsi scriptorum christianorum merita theologica, scripturistica, litteraria pervestigent.

Opus peropportunum ducimus dummodo, ut vera in Latinitate institutio postulat, optimos, quamvis paganos, scriptores quos classicorum nomine nobilitamus, omnino ne deseramus.

M. MOLINA, C. M. F.

J. MONTESINOS ABELLÁN. — *Gramática histórica latino-española*. Escelicer, S. L. Cádiz, 1954.

Vera de re bibliotheca est hoc solum volumen 392 pagellarum densioris litterae, earumque non modicae ampli-

tudinis. Cui luculenta praefationis instar epistula clari viri J. M. Pemán, ad operis scriptorem missa, praebet (pp. 3-4).

Ampla consequitur introductio (pp. 5-27), ubi per summa capita agitur de lingua et dialecto; de lingua, ut de phaenomeno civitatis et individui; de linguarum origine; de mutationibus linguae; de linguarum generibus; de lingua Indae Europaea; de familiis linguarum; de Roma et prisca Latinitate; de Linguae Latinae relationibus cum dialectis Italicis, cum Graeco cum Etrusco; de Latina lingua litteraria et vulgari; de linguis Romanicis; de aevi medi Latinitate; de aetatibus sermonis Latini litterarii atque de praecipuis in eisdem scriptoribus; de lingua Hispanica.

In corpore vero libri (pp. 28-369) historico atque parallelo modo de phonetica, morphologia, thematologia, syntaxi Latina et Hispanica disserit clarus Professor Montesinos. Quibus facile studium de arte metrica Latina additur (pp. 370-382); una cum appendice de onomastica, calendario, systemate metrico, exercitiis, magistratibus (pp. 383-388). Opus certe commendandum ducimus nostratibus Latinitatis alumnis in collegiis et Universitatibus.

J. MARRA. — *Q. Septimii Tertulliani, De Spectaculis, De Fuga in persecutione, De Pallio*. Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum. G. B. Paravia, Torino, 1954.

Tria Q. S. Tertulliani opuscula uno hoc volumine edita nuper sunt: «De Spectaculis, De Fuga in persecutione, De Pallio». In libri quasi galeata praefatione, clarus vir J. Marra de ratione curaque adhibita in codicibus extricandis data opera nos monet (pp. V-XVIII). Itaque tota fere codicum historia, quibus ad nos usque scripta hujus modi pervenere, tanquam uno calami tractu dilucide diserteque hisce in pagellis detegitur. Qua quidem re admodum

editio haec habenda est lectoribus accurata

Jam vero textus opusculi «De Spectaculis», a pagella 3 ad 42 procedit; adjecto apparatu critico ad calcem additisque indicibus nominum, rerum, elocutionis (pp. 43-54), qui maxime apti ad argumentum penitus intellegendum sunt.

Opusculum «De Fuga in persecutione» a pagella 27 ad 92 extenditur; cui et nominum, rerum memorabilium, elocutionis indices annectuntur (pp. 93-111). Dentque opusculo «De Pallio» (pp. 117-139), cum indicibus (pp. 141-162), perbellem volumen hoc clauditur. De his opusculis ita se habet J. Marra: «Tertulliani «De Fuga in persecutione et De Pallio» libelli minime continentur vetustissimo illo Agobardino codice, de quo supra diximus, quo factum est ut aliorum codicum, recentioris quidem memoriae, subsidio in hac editioe usi simus, sive recta eos contulimus, sive veterum editorum libris sumus adjuti».

F DELLA CORTE. — *Varrone il terzo gran lume romano*. Pubblicazioni dell'Istituto Universitario di Magistero. Genova, 1954.

Habes in hoc leptido volumine vitae atque operis M. Terentii Varronis narrationem, a Professore F. della Corte nitido agilique calamo exaratam. Ex uno indicis nominum ac locorum obtutu facile in imam operis eruditionem devenire potes. Historia enim hic pristina et recentior quasi manus, securo scriptoris ductu, invicem conjungendas praebent in textu biographiae illius quidem praeclari viri, qui adhuc tertium magnum Romanorum lumen, post Ciceronem Vergillumque nuncupatur. In praefatione vero scriptor religiose versum illum praeclari viri F. Petrarca in «Trionfo della Fama» (III-38) perpendere intendit. Qua tamen re trutina artis criticae pensata, minime dubitat praefatum verum in libri titulum mutuari.

Summa, ni multum fallor, haec operis argumenta: Bona paterna; in schola apud Actium et Stilonem; speculatio nugarum Menippi; in famulatu Pompei; adversus piratas; nova agrorum colendorum oeconomia; acerbitas ac dissensio cum Cicerone; in bellis civilibus; transitus ad factiones Caesaris; fortuita cum Cicerone conventio; interpositio Attici; opus magnum; post Idus martias; genus «encyclopaedicum».

Magnam certe libri partem, eamque potissimam, appendices tres constituunt: catalogus Varronis operum; nova lex Brunn de indicibus Plinii; lex Lindsay et fragmenta Varroniana.

M ALVAR. — *El Dialecto Aragonés*. Biblioteca Románica Hispánica. Editorial Gredos, Madrid, 1953.

Bibliotheca Romanica Hispanica, cujus patrium est ditare sermonem, novo clari viri E. Alvar volumine in alumnorum commodum locupletatur. Opus vero in quattuor partes praecipuas dispescitur

In prima dilucide de aevo medio et dialecto agitur (pp. 7-102). Ubi disputationem protrahit scriptor de provinciis ac regionum recuperatione; de variis vocabulorum exprimentorum rationibus; de Latino sermone vulgari in Aragonia; de personarum nominibus in Aragonensibus saeculorum XI et XII documentis.

Altera voluminis pars de textibus et documentis dialecti propriis (pp. 103-131). In qua disserit de documentorum collectionibus ac de lucubrationibus linguae Aragonensis.

Tertia porro pars est de cursu dialecti historico (pp. 132-326). In qua disertè abundeque de dialecti finibus; de phonetica, cum studio vocalium, consonantium, phoneticarum legis generalis mutationum. De morphologia cujus praecipua argumenta: nomen, pronomen, verbum; thema praesentis et perfecti, particulae; nominum formatio ac doctrina de praefixis et suffixis. Syntaxis,

ubi agitur de syntaxi articuli pronomini et adjectivorum, verbi ac praepositionis. Tandem de lexico.

Ultima denique pars est indicum (pp. 329-403). Hi vero indices: Locorum in textu memoratorum; chartarum geographicarum; rerum, verborum et index generalis.

Opus de re completum ac luculentum ducimus, idque magnae illi utilitatis, qui linguis Romanicis navant operam.

STOLZ-DEBRUNNER. — *Geschichte der lateinischen Sprache*. Sammlung Götschen 492. Walter de Gruyter. Berlin, 1953.

En tibi scitus libellus, parvae quidem mollis, sed magni tamen, discipulis Latinitatis momenti atque ponderis. Est nempe 492 numero inter libros illius celebratae collectionis «Sammlung Götschen». Admodum 136 pagellis constat, cum re ipsa tantidem est quasi duplex magnitudine opus. Agitur de Historia linguae Latinae a Dre. Fr. Stolz exarata, nunc vero tertio in lucem edita, accurato addito recognitionis perpolutionisque studio, a Dre. A. Debrunner, Professore in Universitate Bernensi

In erudita libri introductione (pp. 9-20), disserit scriptor de fontibus atque adminiculis ad explorationem Historiae linguae Latinae. Et corpus operis capita septem hac fere ratione complent. I. Historia prisca vel praehistoria linguae Latinae; ubi de fundamento et lingua Inda Germanica; de Italica antiqua; de Latina et proximioribus ejusdem linguis; et de influxu aliarum linguarum in Latinam (pp. 20-62). II. De sermone Latino litterario antiquiore; ubi praesertim de linguae sacrae et juridicae reliquiis, et de inscriptionibus Latinis remotissimis disputatur (pp. 62-67). III. De lingua Latina antiqua (pp. 67-83) IV. De lingua Latina classica (pp. 83-91). V. De postclassica (pp. 91-99). VI. De sermone Latino vulgari seu de lingua populi (pp. 99-113). VII. De linguarum Romanica-

rum in Latinam ratione mutua (pp. 113-119).

Haud negligitur mentio potioris de re bibliographiae (pp. 5-8); et liber rite non nullis appendicibus absolvitur (pp. 120-136). Eum maxime commendandum Germanicae linguae peritis censemus.

LUIS FLÓREZ. — *Lengua Española*. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo. Bogotá, 1953

Apte colliguntur in hoc volumine non nullae oretenus explicationes, quas praeclarus olim scriptor habuit ad microphoneum Radii Nationalis in re publica Columbiana. Atque hujusmodi collectionis est finis in vulgus edere quasdam notiones, quae intimam relationem habent cum lingua Hispanica, unaque notitias notatu dignas linguae Hispanicae in dictione Columbiana lectoribus offerre

Non nulla diserte scriptor de philologia et linguistica disputat, de partibus orationis, de grammaticis scholaribus, de origine linguae Hispanicae, de lingua Hispanica in libro vulgo dicto Quijote, de correctione et proprietate, de «indigeno» in lingua Hispanica Americae influxu, cet.

Vere hic pulcher liber illi commendandus, qui de litteris Hispanicis et Americanis notitiam amplam atque eam profundam habere intendunt.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

D. PLANQUE. — *Votre Foyer*. Manuel de mariage chrétien. Maison d'Éditions Ad. Wesmael-Charlier, Namur, 1953.

Multa de matrimonio deque aliis similibus rebus nostra aetate scribuntur quae quidem ut, modo convenienti pertractata, lucem ac salutem adolescentium animis ferre poterunt, ita et exitio eisdem erunt si maximam cautionem in scribendo auctores neglegant.

Liber quem tibi nuntiamus, lector, haud parum institutioni tum juvenum, tum ipsorum parentum, magistrorum et

animarum moderatorum inservire poterit. In eo enim multa eaque praecipua de amore christiano, de matrimonio, de castitate, de sponsis, de parentibus, de vita familiari, cet. clare ac presse tractantur

JESUS ASPA, C. M. F.

P. FABIA. - P. WUILLEUMIER. — *Tacite: L'homme et L'Oeuvre*. Hatier-Boivin, Paris.

Septem admodum capitulis hoc opusculum, quod est de ratione vivendi et operibus litterariis Taciti diserte a nobili Professore P. Wulleumier exaratum, totum absolvitur I. De vita Taciti, ubi de ejusdem origine, cursu litterario atque indole agitur (pp. 7-13) II. Dialogus de Oratoribus Levi certe calamo, at modo tamen concinno, clarus scriptor de auctoritate operis, scriptiois tempore, «ideis» litterariis, moralibus, politicis ac socialibus, deque personarum genio et operis stilo disserit (pp. 14-24). III. De vita Agricolae. Natura hujus modi operis perpenditur atque stilius litterarius detegitur (pp. 25-37) IV. Germania. Non nulla tantum de fontibus ac propositis delibantur; atque Tacitus ut historicus, patriae fidus, moralis scientiae professor comptique sermonis cultor aestimatur (pp. 38-44). V et VI. Historiae atque Annales duo capita complectuntur: in altero integritas et vis historica; in altero vero ars aethetica horum operum aequa scientiae criticae hodiernae lance penditur (pp. 45-154). VII. Denique non nullis de Tacito quasi superstite opus ab auctore finitur (pp. 155-164). In quo capite disputat de allegationibus et allusionibus antiquis, de manu scriptis, de editionibus et translationibus, de studiis atque judiciis criticis.

Septem quoque pagellis bibliographia de re praecipua, auctoribus qui ampliorem uberioremque afferunt, absolvitur (pp. 165-171). Alumnis praesertim litterarum humaniorum opus magni commodi aestimamus.

ILDEPHONSUS GONZALEZ, C. M. F.

G. LE GENTIL — *Camoëns*. «Connaissance des lettres». Hatier-Boivin, Paris.

Multa quidem de Camoëns et de «Os Lusitadas» poemate dicta sunt ita ut difficillimum sit novum opus aliquid novi de isdem rebus proferens scribere. Cl. auctor L. Gentil, nostro iudicio, etsi certe nil novi de Comoëns in suo opere exprimere conatus est, bene tamen de litteris meruit; nam magnum poema, nationis Lusitanae, et praecipue ejus scriptorem, A. de Camoëns, optime sibi proposuit offerre studiosis Gallicis (et his qui—ita putamus—tum in Portugallia, tum in Brasilia litteris student) et epicum et lyricum sensum Camoëns atque modos insitos artis poeticae, quibus vates noster opulentus abundat: quae omnia plura quam ejus vitae notitia sunt.

In hoc libro conscribendo G. Le Gentil, rerum Lusitanorum studiosissimus, novos fulgores impendit suae vitae, quam ferre consumpserat totam ut vere et pulcre cognosceret praecipuas maximasque Lusitanorum virtutes atque ut Galliae et ceteris populis eas declararet.

Opus hoc professoris Le Gentil Lusitano poetae dicatum, perfectum dici possumus, quod vere. Investigationibus abundans, comparari possumus cum aliis, ejusdem auctoritatis, quodque Lusitanis et exteris, cum A. de Camoëns agere velint, plurimum inserviet.

EMMANUEL VIEIRA, C. M. F.

A. TOVAR. — *Presente y futuro de los Estudios Clásicos. Conferencia en la Sociedad Española de Estudios Clásicos*. Páginas de la Revista de Educación. Madrid, 1954.

De hac oratione, in Hispanica Conso- ciatione studiis classicis provehendis habita, antea in superiore PALAESTRAE LATINAE fasciculo egimus sub inscriptione quae est *Collectanea*. Eam ad viros eruditos ad litteras classicas incitandos atque eorum conatus regendos existimamus aptissimam.

J. GARCÍA, C. M. F.

HJALMAR FRISK — *Griechisches Etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 1 et 2. Carl Winter - Universitaetsverlag. Heidelberg, 1954.

Nobili semper studio Humaniores Litteras divulgandi jamque in lucem paene edito tertium Dictionario illo Etymologico Latino, a Dre. Aloisio Walde exarato, cum nunc Officina Libraria Caroli Winter edit etiam insigne Dictionarium Etymologicum Graecum, a praeclearo viro Hjalmar Frisk elaboratum, atque id ad nostrorum dierum progressus scientiae linguisticae et philologicae culmen positum.

Jam vero duo adhuc primi ad nos fasciculi hujus operis pervenerunt, quos magno quidem opere aestimandos ponderandosque ducimus. In mente ac proposito clari scriptoris id unum est: Dictionarium, quod ipsa inscriptio affert, Etymologicum Graecum, non autem cum Indo Germanico in primis comparatum, toto pectore elaborare scientiaeque hodiernae linguisticae et philologicae proponere. At ceterae tamen Indo Germanicae linguae, id cum vocabulorum notitia accuratior et plenior exigere videatur, ab eo diserte conferuntur.

Hoc scilicet in Dictionario Graeco Etymologico lector tanquam litterariam historiam unius cujusque vocis linguae una cum earumdem etymologia apud sapientes recognita invenient. Neque vero ingenua ibi ac veri sapientis propria, cum res adigat, ancipitis animi vel dubii confessio desideratur.

In primo igitur fasciculo, XI 96 pagellis constans, a primo linguae Graecae vocabulo α - ad vocabulum $\alpha\mu\upsilon\delta\rho\acute{o}s$ decurrit, toto plane apparatu critico ad diem nostrum de re adhibito. Et parilli proceditur via ac ratione in altero fasciculo, qui quidem a pagella 97 ad 192 decurrens, dilucide etymologiam litterariamque historiam vocabulorum linguae Homerici ab $\alpha\mu\lambda\omicron\varsigma$ usque $\alpha\upsilon\chi\mu\acute{o}s$ ostendit. Toto itaque nixu plausuque toto Dictio-

narium hoc Graecum Etymologicum his commendamus, qui quidquam alte solideque de vocabulis alterius linguae sapere cupient: tamquam bibliothecam vocabulorum completam scitamque ibi reperiant oportet.

F. GIANCOTTI — *Saggio Sulle Tragedie di Seneca*. Società Editrice Dante Alighieri. Roma (601). Lungo Tevere Prati, 22.

Hujus modi libelli argumentum, ex ipsis clari scriptoris verbis, non id certe quod tragoediae Senecae non sunt, sed id potius quod sunt, definitur.

Sententiae autem scriptoris propriae eum adigerunt, qui omnino in studio excluderet «Octaviam» tragoediam, quam et plerique hodie critici scriptores ex operibus Senecae expungunt. Commode lector in hac elucidatione quidquid ad tragoedias Senecae pertinet et adhuc scriptum manet, levi labore consequetur; navus quidem auctor his omnibus missis, quae amplam ac profundam eruditionem ostendere possent, synthetico potius modo strictimque, quod alumno certe plaudendum, procedit.

Sic vero se habet auctor in argumento explicando: Auctoritas (pp. 7-16). Quaestio chronologica (pp. 17-29) Utrum Tragoediae sint ad theatrum, necne (pp. 20-37). Ideae aestheticae apud Senecam (pp. 38-49). Tragoediarum quasi idea parens (pp. 50-56). Nexus atque antinomiae idearum ac rationum generalium (pp. 56-77). Argumenta mythicae (pp. 77-81) Structura ac rationes morales Tragoediarum: Medea, Oedipus, Phoenissae, Thyestes, Troades, Agamemnon, Phaedra, Hercules furens, Hercules Oetaeus (pp. 82-157). De arte oratoria et rhetorica (pp. 158-166) De poesi (pp. 166-196). Tota tandem libelli ratio typographica et commoda et accurata est.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

CERTAMEN CAPITOLINUM V — Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis. Romae, MDCCCCLIV

Quintum est hoc opusculum quod lucubrationes praemio donatas colligit in quinto *Certamine Capitolino*, curante Instituto Romanis Studiis Provehendis, habito. Tres sunt in eo narrationes, pura Latinitate exaratae.

Prima, *Nox panormitana* quae — «exquisita doctrina semper adhibita multaque rerum scientia, de rerum natura, generatim atque universe disceptat; idemque de sideribus se per caelum volventibus, de vetustissimo hominum genere ferino victu atque cultu vitam agente, nec non quo universus peteret mundus, quid, denique, post orbem fato dilapsus, de hominum animis futurum esset» — Ignatium Poma habet auctorem.

Altera, Aldi Bartalucci, *Convivium* inscribitur; in ea scriptor «res Romanas attingens, exquisito minimeque vulgari orationis genere usus, memoriam repetit cladis a Romanis apud Hedessam acceptae».

Tertia, denique, Joachim Petrolli, cui index *Nubes*, poetice, quodam modo, fabulis, exprimit «quanta admiratione quantoque afficerentur gaudio, qui in caelo mutatas nubium formas spectarent».

Huius quidem libello Acta Certaminis praecedunt.

G. THÉVENOT. — *Textes Gradués pour la version latine*. Classe de Première. Les Éditions de l'École Paris.

Has versiones Latinas cl. auctor proponit cum alumnis qui e Baccalaureato exeunt, tum his qui ad Licentiam linguae Latinae pervenire appetunt. Duo tamen

proposita in his colligendis scriptorum classicorum locis sibi proposuit: a) offerre alumnis in his (60) versionibus conspectum litterarum Latinarum, et b) tractatum Grammaticae, Institutio- num, morum, notionum seu idearum populi Romani.

Opus in tres sectiones dividitur: I. Versiones faciles; II. Versiones mediae difficultatis; III. Versiones difficilliores.

Notulae et consilia opportuna unamquamque sectionem sectantur.

Tandem, opus aperit brevis ratio interpretationis Latinae perficiendae atque Index grammaticalis illud claudit.

Ex dictis, colliges et utilitatem collectionis et aptam in his rebus agendis rationem.

J. GARCÍA, C. M. F.

F. COMPANY — *Para una filosofía de la preocupación*. Universidad Nacional de Córdoba (Argentina), 1953

Hic liber, qui nunc seorsum evulgatur, excerptus est e Commentariis Facultatis Philosophiae et Litterarum, numeris 1, 2, 3, a. 1953. In eo cl. auctor agit de *Praeoccupatione* (*prae-oc-cupatio*) «semantice» et historice perpensa, ita ut velut «biographiam» huius vocis describat, ab ejus sensu a Romanis praefixo ad significationes, quas diversae philosophorum hominumque sententiae progrediente tempore eidem tribuerunt verbo, peculiari addito sensu, quem «praeoccupationi» Argentini imponunt.

Sunt veluti picturae amoenae et singulares hominum obnoxiorum «praeoccupationibus» in diversis aetatibus.

Operi major tribueretur honos et auctoritas si scriptores eorumque opera diligentius memorarentur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.



SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM Lauria 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. I — FASC. II

M. JUNIO

A. MCMLV

VISNE LATINE SCIRE? - LEGE

Visne copiam habere dicendi, candide puer? Visne, inquam, Latinum sermonem ad unguem callere? Ab unguiculis quoque Latina exemplaria ne pigeat te versare. Lege, quaeso, scriptores iterum iterumque. Et si rei periculum feceris, profecto intelleges hanc esse unam et longe praestantissimam facillimamque viam ad comparandam Latinae linguae facultatem. Porro, ut propositum tuum facilius assequaris, nullum temporis momentum tibi effluere sine lectione patiaris, ut multitudini rerum legendarum aetas brevis sufficiat. Neque enim dormientibus nobis arcana sapientium panduntur. Omnibus ingenium manet, modo permaneat studium et industria. Alexander Magnus ne a legendo vacaret unquam, etiam magnis expeditionibus occupatus, Homerum secum in theca aurea gestavit. Carolus V, magnus ille Imperator, Thucididem semper circumgestasse in exercitu dicitur, sed hispanice redditum; Plinius inter venandum et in ipso terrae motu a lectione sibi non temperavit. Hieron in navi bibliothecam habuit. Cato tanta doctrinae cupiditate flagravat, ut ne in curia quidem, dum senatus cogebatur, abstineret, quo minus libros Graecos lectitaret; qua quidem industria ostendit, ut ad rem Valerius Maximus, aliis tempora deesse, alia temporibus superesse...

PRAECEPTA VITAE INFORMANDAE

Persuasum sit adolescenti senibus ac majoribus natu plurimum reverentiae exhibere, quod Cicero hac gravissima sententia monet: «Adolescentis est majores, natu vereri, exque his optimos eligere, quorum consilio atque auctoritate nitatur» (*Off.*, 1, 34, 122). Et Augustinus de se loquens: «Procellosam, inquit, vitae humanae sum ingressus societatem, pendens ex parentum auctoritate, majorumque nutu» (*Confess.*, 1, 8, 13).

...

Si quis est humillioris fortunae, vel ingenii, quae ad vitam tuendam sunt necessaria, conetur parare, Cleantis more, qui noctu hauriebat aquam, ut latrantis stomachi lucrando solveret inediam, et libere per diem incumberet studiis.

PAEDAGOGUS

Rusticus aulicos irridet



Quidam simplex agricola regem videre cupiebat. Nam plus quam hominem eum sibi fingebat. Ab ero suam mercedem postulavit eique salutem dixit. Agricola longo itinere omnes, quos secum habebat, nummos paene consumpsit. Postquam vidit regem, errorem suum agnoscens:

— «Heu me miserum, inquit, rex homo mortalis est sicut ceteri! Quidquid habebam, impendi! Nihil aliud quam denarius in mea crumena restat!».

Nimiae curae causa dens putridus vehementes ei movit dolores. Doloribus ac fame vexatus, haec verba secum faciebat:

— «Si medicus mihi dentem evellit, fame deficiam; si in cibo emendo denarium impendo, dentibus laborabo».

Hoc dubio anxius ante pistrinam constitit, nam crustula, quae pistor e fornace educebat, salivam ei movebant.

Duo regis assentatores seu aulici forte transierunt videntesque agricolam oculis in crustula intentis, per jocum ei dixerunt:

— «Quot crustula ex his edere audes?».

— «Edepoll!, quingenta audeo edere crustula!».

— «Quingenta dicis? Abi in malam crucem!».

— «Quingenta nimirum dixi!».

— «Quid igitur nobis spondes?».

— «Quid ipse spondeo, amici? En meum propositum: si crustula non edo, mihi vos per medicum hunc primum dentem evelletis». Idque eis dicebat dentem putridum ostendens.

Crustula in ventrem agricola quamplurima ingerebat, cum ecce omnino satur edere desiit, at:

— «Sponsionem vicistis, amici!», inquit.

Tunc aulici gaudio exsultantes medicum accessiverunt qui dentem putridum agricolae eruit. Agricola simulate summi doloris signa dabat. Quapropter aulici:

— «Unquam vidistis rusticum hoc stolidiorem qui crustulorum saturitate dentem amisit?».

— «Vos quidem multo stultiore estis, inquit rusticus, nam famem mihi extinxistis et eruistis dentem putridum quo totum mane laboraveram!».

His auditis, qui aderant laudaverunt ludum quem rusticus assentatoribus fecerat. Aulici vero, rubore suffusi, abierunt.

M. MOLINA, C. M. F.

Miscentes utile dulci...

FACETE, SAPIENTER, ACUTE DICTA

1. Empedocles, vir doctus, ex Agrigento Siciliae oppido, interrogatus quid esset Deus, respondit esse circulum, cujus centrum est ubique, linea vero in orbem ducta (*circunferencia*) nusquam. Ast ego, si interrogares quid esset Deus, responderem: *Deus est id, quod nemo scit, nisi Deus ipse sit.*

2. Thales Mileto natus, primus e septem sapientibus, interrogatus lateretne Deum homo male agens: «*nec cogitans quidem*», inquit. Unde bene divus Augustinus: «*Deus totus oculus est, quia omnia videt; totus pes est, quia ubique commoratur*».

LEMMATA IMPERATORUM

1. Julius Caesar, a quo imperatores Romani Caesares sunt appellati, a Bruto et Cassio conjuratis, tredecim vulneribus Romae in Curia periit confosus, anno ab Urbe condita 709, aetatis 56. Ad Brutum, quem maximo semper amore complexus fuerat, haec verba dixisse fertur: «*Tu quoque, Brute, fili mi*». Post ejus mortem stella crinita per septem continuos dies fulsit.

Ejus lemma fuit: *SATIUS SEMEL, QUAM SEMPER.*

2. Octavianus autem, Caesar Augustus, qui primus Imperatoris nomen sibi sumpsit, regnavit 56 annos, quod nulli contigit Imperatori. Obiit Nolae in Campania, anno Christi 16. Atque adeo sub ejus regimine ex Maria Virgine natus est Jesus Christus, verus Deus et homo, omnium Servator et Dominus.

Lemma ejus fuisse dicitur: *FESTINALENTE.*

SAPIENTIUM DICTA

Thales Milesius dicere solebat, faciem componere non praeclarum esse, sed bonarum artium studiis animum excolere, longe esse praeclarior. Idem interrogatus quisnam esset felix: «*Qui corpore, inquit, sanus est, animo vero eruditus*». Non minus praeclare Socrates, qui percontanti quodnam esset pulcherrimum animal, respondit: «*Homo doctrina ornatus*». Idem, cum ei sermo barbarus exprobraretur, «*ego quidem, dixit, barbarus sum verbis, vos autem moribus*».

Disce, puer, variis loquendi formulis pure lingua Latina uti

«Hoc summo conatu faciendum tibi est»

Dies noctesque tibi conandum,
manibus, pedibus tibi entendum,
magno molimine tibi tentandum est,
summīs viribus, (toto corpore) annitendum,
vires omnes adhibendae, impendendae sunt
magno studio entendum, elaborandum, [tibi,

magno conatu id molendum, agendum,
in hoc tibi omni ope et opera incumbendum,
toto pectore huc annitendum, ad hoc incum-
magnopere tibi conandum, [bendum,
summa ope in hoc elaborandum.

PAEDAGOGUS

FLAVIA DOMITILLA



FLAVIA DOMITILLA, E NOBILISSIMA FLAVORUM FAMILIA, IN AULA DOMITIANI IMPERATORIS STUDIOSE EST EDUCATA.

①

AURELIANUS, CUM ANIMO SUO CONSTITUERAT DOMITILLAM HABERE SPONSAM.

②

CUM AUTEM SPONSUM AD SE VENIENTEM EXPECTARET, SPLENDIDIS VESTIBUS A FAMILIIS VESTIARIIS INDUEBATUR.

③

QUAM CUM NEREUS, SERVUS CUBICULARIUS, IN CORPORE ORNANDO DILIGENTISSIMAM INTUERETUR...

④

SI QUAM IMPENDIS OPERAM IN AMPLISSIMA CONQUIRENDA ORNAMENTA, CURAM ADHIBUERIS UT CAELESTI SPONSO GRATA SIS, PERPETUA FELICITATE FRUERIS!



IESU CHRISTI AMORE AC VIRGINITATIS STUDIO
 FLAGRANS SPONSUM REICERE STATUIT. ~
 ALII SPONSO, QUI NUMquam ME AMA-
 RE DESINET, FIDEM SPOPON-
 DI, AURELIANE.

5

6

5

REM INTELLEGO,
 CHRISTIANA ES!
 SED AD IMPERATO-
 REM TE DETERRAM

NEREUS DOMITILLAM
 DE CONTEMNENDIS CORPO-
 RIS VOLUPTATIBUS DEQUE
 VITAE BREVITATE EST ALLO-
 CUTUS ET EAM IN CHRIS-
 TI AMOREM INFLAMMAVIT.




7

- EXEUNTE PRIMO SA-
 LUTIS CHRISTIANAE SAECULO,
 DOMITILLA VIRGO, SUB TRA-
 JANO IMPERATORE INCENSO
 EJUS CUBICULO VEL, UT
 PICTORIBUS PINGERE
 PLACUIT, ABSCISSO CA-
 PITE, NOBILISSIMI MARTYRII CURSUM CONFECIT.

OMNIUM RERUM
 PRIMAM ET ANTI-
 QUISSIMAM CURAM
 NON IN CORPORE
 EXORNANDO AUT
 IN MORTALI HAC
 VITA PERFRUEN-
 DA PONAMUS,
 SED IN ANIMI
 SALUTE ADIPIS-
 CENDA.

Alumnorum Exercitationes



De murium conventu

Cum Roma floreret, mures, ut fama fert, in putrida sentina convenerunt; ne unus quidem afuit. Mus, qui sapientia et virtute et aetate praestare videbatur, cum in vasculum fictile et effractum conscendisset, haec dicere est exorsus: «Fratres et familiarissimi mei, in hoc habitaculo congregati sumus ut rem permagni ponderis agamus. Familiae nostrae atque universae murium reipublicae plurimum interest ad vitam beatam vivendam. Vos ergo, minime ignoratis quantum detrimentum feles illa quae NIGRA dicitur nobis afferat et in quas summas angustias interdum redigamur; tantumque timorem nobis iniecit ut tintinnabulum in cauda constituerimus collocare ut ab insidiis ejus eripiamur». Res his vocibus est conclamata: *Evoe! Evax! Belle!* — «Pax, inquit longaevis, pax!; sed quisnam ex vobis in cauda felis tintinnabulum alligabit? Ego, enim, nequaquam auderem illi saevissimae NIGRAE appropinquare». Huc referri potest omnis ejus oratio.

Mures ceteri itidem; et unus post alium respondit nullo pacto audere se feli appropinquare adeo ut ex tanto colloquio nullum fructum consecuti sint. Illa vero sagacissima feles NIGRA

nomine Romae et in reliquis civitatibus strages edere prosecuta est.

Illud tecum recole: «Claret amor factis, dulcia verba volant».

JOSEPHUS COMAS, C. M. F.

Vici, in Hispania

Luctuosa diadematis impositio

Urbs Constantinopolis anno millesimo quadragesimo quinquagesimo tertio a Turcarum principe Mahometo oppugnata est. Multis ab inita obsidione mensibus elapsis, urbs capta est. Militum caterva magnam urbis partem ferro ignique vastavit. Multi interfecti sunt cives, et multi sunt capti, inter quos pulchra erat virgo, Maria nomine. Puella in principis conspectum producta est. Princeps venustate ejus obstrictus, se eam uxorem ducturum, si Christum ejurasset, promisit. Qua promissione infelix puella, fidem ejuravit. Tunc duces exercitus Turcarum, certiores facti eorum reginam fore puellam christianam ejuratam, ut, quid facerent deliberarent, congregati sunt. Statuerunt ad Mahometum accedere ut a consilio suo cederet. Ille autem splendidas vestes et pretiosas gemmas Mariae misit ut postero die ei reginae corona imponeretur. Tota urbs eo die in praecipuam plateam, ut caerimoniam prospiceret, convenit. Mox, princeps et Maria apparuerunt, plaudente multitudine. — «Fidem tuam ejuras, nonne?» — «Ita est, ejuro». Tunc jussit eam genua flectere ut ei coronam imponeret. Sed subito acinace districto, caput ejus detruncavit. — «Nolo uxorem ducere, inquit, eam quae fidem suam ejuravit, nam facile conjugem suum proderet».

BENJAMINUS FORCANO, C. M. F.

Celsoniae




AENIGMATA

1. Dic mihi, quae in caelis exstat vox integra cujus in terra tantum syllaba prima patet.

2. Cornigera taurum mitto tibi fronte carentem.

3. Provida sum vitae, sed non sum pigra labore, Ipsa ferens umeris secure praemia brumae, Nec gero magna simul, sed congreco multa vicissim.



ALIA DUO LATINITATE DONANDA

4. Soy huésped aborrecible
Y nadie quiere tenerme,
Y no se acuerdan de mí
Sino cuando ya me tienen.

5. Mil veces doy alegría
Y otras mil causo dolor;
Y aunque saben que yo engaño
Todos me tienen amor.

DISTICHA

Noli terere tempus: Tempora consumo nugis et inanibus, et sic
Ne pereant, vitae tempora perdo meae.

Tempus: Tempus edax rerum: nos et terit omnia tempus,
Nos terimus tempus: jam sumus ergo pares.

Juvenum verecundia: Egregium juvenis signum verecundia, tanquam
Peccati constet poenituisse sui.

SOLUTIONES

Abacus beneficus interpretatur
(fasc. I p. 8 et 58)

A E Q U A M - M E
M E N T O - R E B
U S - I N - A R D
U I S - S E R V A
R E - M E N T E M
- H O R A T I U S

REMURMURAS
AERUMNA
AUTUMEM
QUERNUS
HEBETO
DITIS
AVES
INEO

Picturae sic in verba
convertuntur

SUS PENSUS
T E R M I N O
SUS PICIO SUS

invenit: Petrus Codina
e IV Latinitatis C.



PICTURAS IN VERBA CONVERTITE



ABACUS VENEFICUS

(Olegarius Herreros, C. M. F.)

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10
11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
21	22	23	24	25	26	27	28	29	30
31	32	33	34	35	36	37	38	39	40
41	42	43	44	45	46	47	48	49	50
51	52	53	54	55	56	57	58	59	60
61	62	63	64	65	66	67	68	69	70

Gula	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	22	27	15	54	32	6	13	52	3
Concutiunt	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	1	12	50	35	64	19	28	59	
Quaerere	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	20	9	63	48	8	33	17		
Ejulatatio	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	51	16	23	7	49	36	2		
Devorare	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	4	46	11	61	40	21	37		
Calculus	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	18	53	31	24	41	14			
Scapha	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	5	34	56	38	25				
Achivi	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	42	10	30	57	55				
Lavo	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	43	60	45	32	44				
Torcular	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	62	34	47	17	64				
Arbores	—	—	—	—	—	—	—	—	—
	29	58	26	39					

Quid significat hic infocati (corbata) nodus?

— Ne epistulam in capsam cursus publici inicere obliscerer, eleganter uxor ipsa effectit aptavitque nodum.

— At attulistine epistulam?

— Minime. Epistula uxori e memoria excidit neque illam mihi tradidit...

— Quanti constat haec bitota?

— Mille pesetts.

— Hac pecunia capram emere possum!

— O lepidum caput! Sed pergas, quaeso, per civitatis vias caprae insidens!

— Et tu fac emulgeas bitrotam tuam!

VAGUS ET ERRANS COLLOQUUNTUR

— Tu, ubinam habitas?

— Nusquam.

— Tunc igitur, vicini sumus.

IN SCHOLA


— Quare sol hieme serius surgit?

— Quia frigoribus premitur et surgere non-vult (ut pigri alumni).

BENJAMINUS FORCANO, C. M. F.

Celsonae

(Philosophiae alumnus)



PUER, INTELLEGIS QUAE LEGIS?

(D. Rutz, C. M. F. - Celsonae)

Quodam Germanico carmine iucunditates celebrantur veris atque mensis Maji. Initium est: «Alles neu macht der Mai», hoc est: Omnia renovat Majus, et melodia est fere juventutis tripudiantis. Eodem usus metro nonnullas excogitavit Avenarius strophas, quibus non unius Maji, verum etiam ceterorum temporum anni notantur hilaritates. Quae strophae, ut non sibi soli sed etiam huic vel illi e PALAESTRAE lectoribus oblectamento esse possent, ad moderatorem dedit, mandandas, si huic placuisset, typis.

Ilicet
Nunc, Hiems;
Sunt soluta frigora
Et tuis
Imbribus
Turgent rivuli:
Prata virent gramine,
Vita naturae redit,
Nostraque
Consonent
Ora carmine!

Quis canat
Festa, quae
Florens aestas excitat?
Quis pigret
Nunc domi,
Quis non exeat?
Nunc lucos percurrimus
Laeti cum volucris,
Piscium
Aemulos
Nos aquis damus.

Tum subit
Fructibus
Dives autumnus. Sibi
Credita
Semina
Terra plura dat.
Poma fundunt arbores,
Vina reddunt alacres.
Dona sunt
Haec Dei,
Sint grates Ei!

Nec modo
Frigora
Portas et nives, Hiems.
Tu vada
Congelas
Laetis ludicris.
Fers voluptates trahae,
Gratas convictus moras,
Festaque
Tam pia,
Par ut sit nihil.

Quam cito
Transiit
Aetas nostra florida,
Tam cito
Evolant
Anni ceteri:
Quod frequens psaltes monet
Exsultemus ut Deo,
Hoc placet
Persequi
Dulci jubilo.

Insonet
Gloriam
Quidquid spirat, quidquid est:
Debitas
Solvite
Gratias Deo.
Laetis ille filiis
Delectatur et piis:
Plaudite,
Psallite,
Fonti gaudii.

A. AVENARIUS, S. V. D.



VISNE LOQUI LINGUA LATINA?

Ut Romanorum lingua cum amicis colloqui possis atque in novis rerum inventis aptam in promptu semper habeas vocem Latinam, librum tibi in sermone adhibe socium, cui index

NOVA ET VETERA

a Jos. M.^a Mir, C. M. F., conscriptum

PRAESTANTIUM SCRIPTORUM JUDICIA

Magistri qui velint in posterum latine loqui cum discipulis, ad manus habeant oportebit una cum *Vive nostro*, Mureto, Budaeo, Fornario, Capellano, Passeto, Mirum PALAESTRAE LATINAE clarum moderatorem; Immo – tot tantorumque virorum venia dicam – hunc praeter ceteros tum quia *Nova et Vetera* uberior est fons ad hodiernas res exprimendas, tum quia, ex variis vocibus ab auctoribus antea allatis, puriores tantum praebet et tutiores.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., *Palaestra Latina*, an. XX. - n. 119, an. MCML, p. 134

On voit quel est l'intérêt tout spécial de cette tentative: il s'agit de constituer un vocabulaire qui permette d'utiliser le latin comme langue moderne, soit, lorsque la chose est possible, en empruntant au latin classique, soit lorsqu'il s'agit de notions nouvelles, en innovant par le moyen de transcriptions approximatives: *cogniacum*, *cafeum*, de mots composés: *electricvector* = wattman, ou de périphrases: *machina messoria*, moissonneuse. C'est, on le voit, une création linguistique que s'est imposé l'auteur... Il me plaît de reconnaître qu'elle représente un tour de force et de la signaler à ceux qu'intéresse la pratique du latin dit vivant.

J. MAROUZEAU, *Revue de Philologie*, tome XVIII, 1951, pag. 493

Es una aplicación al latín de los métodos intuitivos tan usados en el aprendizaje de las lenguas modernas. El autor ha traducido al latín los cuadros «Delmas...» A cada cuadro le acompaña una explicación o descripción detallada en latín en la que recorre todos los objetos numerados en el cuadro; un vocabulario de latín, castellano y francés, con sus números correspondientes y una *exercitatio*, con preguntas y respuestas. El libro termina con dos vocabularios. Es un libro de gran utilidad para profesores y alumnos en estos puntos de contacto que el latín tiene con nuestra vida...

ALEJANDRO BARCENILLA, S. J., *Perficit*, n. 51, a. 1950

Prostat in officina Libraria: GRÁFICAS CLARET
Venit 20 pesetis

Lauria, 5 - Barcelona

Ex officina typographica: F. Camps Calmet - Tarregae (In Hispania)
www.culturaclasica.com